



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hermanni Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret  
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De  
Westphalia & Saxonia Inferiori**

**Hamelmann, Hermann**

**Lemgoviae, 1711**

**VD18 11397225**

2. H. Hamelmannus de Antiquæ Westfaliæ Ducatibus, Principatibus,  
Comitatibus & Dominiis Westfaliæ brevis relatio: ubi etiam exponitur  
eorum hodiernus status in Westfalia.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

ANTIQUA  
WESTPHALIA,

Hoc est :

De Ducatibus, Principatibus, Comi-  
tatibus & Dominiis Westphaliæ veteribus brevis rela-  
tio, ubi etiam exponitur, qui hodie Ducatus Principatus,  
Dominia & Comitatus sint in Westphalia.

AUTORE

HERMANNO HAMELMANNO,  
Licentiate Theologo.





*Amplissimo Præfato, Ingenii, Stemmatis, Eloquii,  
Eruditionis ac Dignitatis laudibus insigni*

**D. JODOCO DINCKLAGIO**, Præposito summi  
Templi Osnabrugensis, &c.

*Nec non Nobili, pietate, virtute ac integritate præstanti*

**D. CASPARI SCHELEN**, Hæreditario possessori in  
Schelenborg, &c.

*Atque Ornatisimo & eximio*

**D. CHRISTOPHORO GERENBERGIO**, Senatori  
ac Secretario Inclytæ Reip. Osnabrugensis, &c.

*Suis Dominis & Patronis Colendis.*

**Q**uam celebris & clara fuerit nostra Patria tempore Caroli Magni cum summus ille Imperator primam in utraque Saxonia Ecclesiam & Collegium vel potius Academiam Christianam in Osnabrugensi urbe institueret, eisque sanctum & doctum virum Wihonem de consilio Alcuini Theologi & docti scriba Ecberti præficeret, curaretque diligenter ut semper ibi græca lingua ac latina traderentur, vix equidem verbis proferri poterit. Exiit adhuc privilegium ipsius de hac re in Archivis capituli cathedralis, ubi expresse legitur, quod ideo ibi instituerit Collegium, & voluerit Osnabruga perpetuo manere Scholas Græcas ac Latinas, quò semper in isto Collegio haberentur græca lingua periti, quorum usus posset esse in legationibus toti Imperio Germania, nec etiam clerici græca dictionis periti ibidem unquam desiderarentur. Specialiter etenim istam Ecclesiam dilexit, ut Rolevingius & Krantius scribunt. Non est igitur dubium, quin docti viri & excellentes utriusque literaturæ cognitione celebres tunc in nostra patria vixerint, ipsaque urbs & ipsum collegium toti Westphalia atque adeo Saxonia ornamento fuerit. Quis etiam ambigit multos per id tempus hinc inde doctos & studiosos atque nuper Christianos factos ad hanc urbem & collegium discendi & audiendi gratia confluisse ex diversis locis non solum utriusque Saxonie, sed etiam totius pene Germaniæ? Deus bone quam dulces tunc & quam suaves eodem seculo disputationes habuere Professores coram discipulis? quam jucunda miscuerunt colloquia & interpretationes utiles de rebus multis in nova illa Schola lectioni græca lingua ac latina? Quam eruditè sepe disseruerunt de rebus Theologia, præsertim cum

per



per id seculum nondum essent ita omnia Scholasticis involucris implicita? & quidem ego facile inducor, ut credam ipsum etiam *Wihonem* ibidem cum Scholarcha, Cantore, Prapósito & reliquis in nova Academia Doctoribus contulisse de arduis fidei negotiis, multaque commode & dextre explicuisse. Nam non frustra sunt tales tituli, ac officia in Collegiis instituta, imò vel ex hoc uno privilegio Caroli videmus causas, cur talia collegia tanquam Phrontisteria ac Scholas institui voluerint antiqui. Hodie prohdolor nihil amplius tam in nostro quam reliquis collegiis reliquum est ex ista tam salutari institutione Caroli, quam nuda nomina titulorum ac Dignitatum, de quibus hoc, quod *Rolevingius* dicit de Nobilibus *Westphalia*, recte dici potest:

Nomina nunc retinent, virtus antiqua recessit.

Et quanquam dixerim istud privilegium apud nostrates neglectum & contemptum videri, tamen tu unus, amplissime Prapósíte, adhuc superesse ex istorum quasi reliquiis, de quibus Privilegium Carolinum refert, videris, quia T. D. literis, iudicio & eloquio excellenter ornata est, atque multarum rerum experientia consilioque valet plurimum. Hinc eidem gravissima saepe legationes demandatae sunt. Nam interdum non unius sed trium etiam Principum Legatum in Comitibus Imperii egisti, ut jure quodam existimem, te unum aliquem ex tali & tam antiquo Collegio per D. Carolum instituto, adhuc nobis superstitem esse. Adde, quod de multis etiam Prapósitis, qui literas, pietatem & singularem erga doctos humanitatem ac benevolentiam, suis Ampliss. Dignit. adjecerunt, referre possem, inter quos merito primum locum habet clariss. & vere illustris Princeps *Anholdinus Georgius*, Prapósitus *Magdeburgicus*, qui ut fuit *Heros* excellenter doctus Theologusque peritissimus, ita omnes eruditos ac antiquitatis studiosos promovit atque sumptibus juvit. *Joannes Dalburgius* primo Prapósitus, deinde Episcopus *Vangionum*, Majorum seculo *Rudolphum Agricola* & *Joannem Captionem* sibi familiarissimos propter studia habuit, & illi duo apud ipsum vixerunt, ejusque encomio commendati sunt *Electori Principi Palatino*, quibus erant hoc nomine grati. *Rudolphus Langius Nobilis* & primus Poëta *Westphalia* imò etiam *Germania*, Prapósitus veteris *Templi Monasteriensis Alexandrum Hegium*, *Joannem Murmelium* & *Buschium* quasi restauratores rei literariae beneficiis ac muneribus prosecutus est, ipsis pecunia & varia diversorum librorum copia suppeditata: Fuit in nostra patria *Nobilis Prapósitus ad S. Joannem Lambertus de Beveffen*, antiquitatis valde studiosus, qui multis ad investiganda vetera monumenta opem prestitit, & ad ea describenda scribas aluit. *Atrebatensis Episcopus Antonius Perronottus*, Prapósitus





positus Xantensis, Petro Natio doctiss. viro hactenus singulis annis magnos praebuit sumptus ad vertendos veterum Theologorum Graecorum libros; Claudius etiam Carondoletus, Brugenſis Praepositus, liberaliter membranos libros & plurimum argenti, revidenti & restituenti opera antiquorum in Ecclesia Patrum, Joanni Costerio, Monacho laborioso, affatim suppeditat usque in diem hodiernum. Nihil dicam nunc de Wilhelmo Ketlero, quondam Monasteriensium Praeposito & deinde Principe, qui ut ipse de literis optime meritus fuit, ita & de literatis quotidie adhuc bene meretur, taceo quod etiam hodie Praepositus Monasteriensis ex Mordianorum familia, atque Decanus ex Sehenkianorum stemmate profatus, dicantur egregie literati non solum esse, sed quod uterque etiam literatos amet: idem de Mindensi Praeposito Arnoldo Bockholtiano referam docti. Quibus omnibus te vir praestantiss. adjungo, & oro ut pro tua H. & pietate pergas benefacere studiosis ac doctis.

Quantum porro ad te attinet Nobilis Caspar, audito tuam Excell. praedicari nomine pietatis ac integritatis plurimum pra reliquis omnibus istius dittonis viris equestribus, cumque talibus etiam virtutibus addas lectionem sacrae scripturae ac antiquae historiae tam Ecclesiasticae quam politicae, foveasque studiosos & pios, atque pietati & literis operam dantibus subsidia praestes, merito quoque tibi, qua de communi patria scripsi, simul inseribo; Et duobus his recte te ornatiss. Christophore adjungo, qui ex hoc Comitatu, in quo ego nunc versor, cum tuo nutricio M. Conrado Eckendorpio, viro piissimo & doctissimo Concionatore, qui ibidem apud vos quiescit in Domino, originem traxisti, & nunc nostram Patriam Osnabrugensem urbem industria, consilio & aliis donis ornas, piisque multis ac studiosis benefacis, ut ipse quoque ingenio, judicio ac literis clares.

Itaque tibi, Clariss. Praeposite, inter Ecclesiasticos prae lucenti, tibi vero, Caspar Generose, ut inter equestres ordinis viros praecipuo, atque tibi, Eximie Christophore, tanquam singulari ornamento urbis nostrae Osnabrugensis, justis de causis dedico, quod de communi Patria nostra Westphalia ex tempore & quidem tumultuante scripsi; Illud pro vestra benevolentia boni consulite, & bene valete in Christo.

V. D. ac Ex.

Additus

HERMANNUS HAMELMANNUS,  
Licent. Theol.

ANTI-



# ANTIQUA WESTPHALIA.

Hoc est:

De Ducatibus, Dominiis, Comitatibus Westphaliæ veteribus, brevis relatio.

## SUMMARIA.

1. Quis olim & unde Rex, Dux, Princeps & Comes apud Latinos juxta & Germanos dictus?
2. Duces & Comites, à Cesaribus prædiis vel provinciâ quadam donati, pristinum titulum retinuerunt.
3. Potestates earumque mutationes esse à Deo, testantur summa orbis Imperia.
4. Romanum Imperium cum per divisionem, tum Barbarorum Turcarum, vicinorumque irruptiones valde decrevit.
5. Principum Germaniæ familiis & provinciis multa obvenerunt mutationes.
6. Cliviam, extinctis propriis Comitibus, Comes de Marca, &
7. Juliam Duces Bergenses, quibus etiam erat Ravensberg, impetrarunt à Cesaribus.
8. Polonia ac Bohemia Duces sunt Reges, & multi Comitatus per Casares Ducatus facti.
9. Ex Comitatu Bambergensi & Mersburgensi quomodo Episcopatus conditi?
10. Episcopi ad Papæ Roman. exemplum, muneris oblii, inhiarunt amplificationi suarum Diœcesum.
11. Quomodo Comitatus Sonner: scheborg ad Magdeburgensem,
12. Comitatus de Wintzenberg atque de Peyn ad Hildesensem,
13. Comitatus Stadensis cum Dynastia de Itzehode ad Bremensem, &
14. Comitatus Steenwedde ac Comitatus de Berga, cum parte Comitatus de Bunstorp & in Dassel / ad Mindensem Episcopum pervenerit?
15. Comitatus in Locten auspiciis Episcopi Mindensis mutatus est in Abbatiam.
16. Comitatus de Renceck transit ad Moguntinum Archi-Episcopum.
17. Marchiones Misnia Comitatum Grojensem aliosque, Marchiones vero Brandenburgici Comitatum Soltwedelensem cum aliis, Duces Burgundia Comitatum Lovanii inter plures, & Landgravii Thuringia Comitatum in Orlamünd ad se traxerunt.
18. Ad Albim sitos Comitatus, nempe de Ringelheim, de Werle, de Wagria, de Ratzeborg, de Nordalbingia, cum pluribus aliis, putantur Holsatia, Slesvici, Stormaria, atque Lauenburgi Domini occupasse.
19. Quomodo permulti Comitatus, scilicet de Danneberg cum arce Castellano-



- lanorum in Horneburg, Comitatus Everstein / Wunstorp / Hallermund & Welspe cum arce Comitis de Darsenberg / ut & Comitatus de Homporg / de Dassel / ad quem Eimbeca, Comitatus Leuenrode / (ad quem Hannovera) & Wingenberg / (ad quem Alvelda pertinuit) nec non Comitatus Lutterberg / Marchionatus de Landsberg in Gangershausen / Arx Castellanorum de Uffeberg & Calenberg / item Comitatus de Northem / cum Diocesi Hildesensi obtulerint Ducibus Brunsvicensium & Luneburgensium;
20. Duces Brunsvic. & Lüneb. ex Familia Wedekindi, Ducis Angaria, oriundos Auctor asserit.
21. Clivia accessit Comitatus Genep.
22. Fuliaco Comitatus Bensenberg & Deist obsigit.
23. Saxones tenuerunt Westphali- am, qua hinc vetus Saxonia dicta est.
24. Harminius possedit tunc West- phaliam, cum Quintilium Varum cum 3. Legionibus deleteret in Comitatu Lip- pia.
25. Ab Harminio nomen habent & Harnesborg / prope Schieder / & Har- meleborg / in Sylvis & Montibus Ur- bis Lemgovie prope Hissentrop.
26. Ariovistus ante Harminium creditur rexisse Westphaliam.
27. Vetusti Saxonum Reges aliquot ex Krantio enumerantur.
28. Saxonum ex Italia redeuntium partim cum Suevis ob Patriam suam ab his occupatam, partim cum Dago- berto, Metensium Rege, bellum varia fortuna gestum, &
29. Caroli Martelli, ejusdem filio- rum Pipini & Grifonis, bellum ad- versus ethnicos Saxones commemorat- ur.
30. Carolus M. adversus Saxonum Ducem Wedekindum, qui possedit Munitionem Siborch & Eresbergam, gessit per annos 30. bellum.
31. Osnabrugi, Monasterii, Pader- borna ac Minda sunt Ecclesia à Caro- lo M. fundata Episcopales.
32. Fraut postea Wedekindus tan- tum Angaria Ducatum in Westphalia retinuerit.
33. Wedekindi filios & posteros ali- ter Krantius, &
34. aliter Peucerus enarrat.
35. Wedekindi M. Pater quis?
36. Wedekindus M. dictus fuit Dux Angrivariorum & jburgi, quia tunc nomen Westphalia nondum in usu ex- titit.
37. Angrivariorum sedes ubi?
38. Variantes de jburgo sunt sen- tentia.
39. Ducatus Angaria ubi firmus, quaque illius metropolis fuerit?
40. Wedekindus in Wildeshusen quoque arcem munitam possedit.
41. Diverse de arce Siborg enar- rantur sententia.
42. Wedekindus M. etiam audit Rex Angrorum vel Saxonum, ejusque ditiones se ultra Visurgim & Lippiam extenderunt.
43. Ulri-



43. Ulimus Comes Regni Angaria de Disten cum Christina uxore baptizatus à Divo Bonifacio, fundavit Hamelense Collegium Canoniorum; Abbatique Fuldensi dedit reliquas suas ditiones, ante adventum Caroli M. in Saxoniam.

44. Fuldensis Abbas quidem Episcopo Mindensi A. 1259. vendidit oppidum Hameln/ & reliqua à predicto Comite Bernharo sua Ecclesia olim donata pradia sed huic venditioni se opposuit Comes in Everstein, cum Civibus Hamelensibus, qui etiam paulo post se subjecerunt Ducibus Brunsvic.

45. Urbs Susatum videtur Auctori ad Ducatum Angrivaria pertinuisse.

46. Susatum, Sodesi/ fortissimum olim extitit propugnaculum.

47. Quae ratione Susatum Colonienfis juris sit factum non convenit inter historicos.

48. Comes de Arensberg/ amissa sua urbe ac arce, se suaque permisit Ecclesia Colonienfi.

49. Urbs Susatum cur à Susag dicta, interque Westphalicas urbes dirisima credatur?

50. Colonienfis Praesul, obtento Susato cum Comitatu Arnsbergensi, assumpti Ducis Angria atque Westphalia titulum.

51. Tuitium cum munitione, item arx Siborg cum Monasterio fuit Colonienfis juris.

52. Westphalia ac Angaria Ducis titulo Fridericus Rom. Rex investivit

Coloniensem Praesulem in Weilhusen.

53. Titulus Henr. Leonis exhibetur.

54. Henricis Auiceps possedit Urbem Eresbergam.

55. Collegium Canoniorum in Angria Henricis Auiceps transtulit in Wallersleben/ & dein Otto 1. in Wagdeburg.

56. Otto I. Imperator vi recuperavit urbem Eresberg/ & expugnavit Tremoniam.

57. Otto 3. sedit aliquando in Wildeshusen.

58. Conradus 2. Imperator per biennium moratus est Minda.

59. Impudentia Episcoporum in petendo notatur.

60. Quae ratione ac à quibus Episcopus Mindensis consecutus sit Regalia.

61. Imp. Henrici 2. & Conradi 2. liberalitas in Ecclesiam Paderbornensem celebratur.

62. Wildeshusen/ & Eresburgum cujus nunc sit juris?

63. Fuerunt olim Comites Tremonienfes.

64. Urbs Tremonia per multos annos fuit Imperatoria.

65. Ducis Luder, vel Lotharii, Majores fuerunt Comites de Quervorde ad Harciniam, ut & Comites de Cuyepenberg & Arnsberg.

66. Quomodo Comes ille Luderus sive Luther/ Comitatus de Northem/ Brunsvicensem & Lüneburgensem, ut & Ducatum Ducis Saxonie, Magni, ad Visurgim sit consecutus?

Co-

D 2

67. Comi-



67. Comitatus de Arnsberg ut amplissimus illiusque Comitatus Friderici potentia laudatur.
68. Luderus vel Lotharius factus Imperator, carens mascula prole, unicam filiam elocavit Bavariae Duci, Henrico Superbo, eique in dotem concessit totam Saxoniam cum parte Westphaliae, ex quo conjugio natus est Henricus Leo.
69. Henricus Leo, excidens gratia Caesaris, Friderici Barbarossa, multos est expertus hostes vi & flammis omnes illius provincias pessime affligentes: donec
70. In conventu Principium, apud Geilhusen / A. 1180. celebrato, partes illius Duca. Angria & Westph. concessi sunt Philippo, Archi-Episcopo Coloniensi, & Bernardo Comiti de Anholt.
71. Angaria praecipuum castrum & propugnaculum Enger / olim possederunt Comites Lippia.
72. Ab Angaria Saxones dicti sunt Angli: unde Britannia & hodie Anglia dicitur.
73. Simon Comes de Lippia, captus ab Episcopo Osnabrugensi, ea lege liberatus fuit, ut dejiceret arcem Enger / & novum oppidum Rhede.
74. Wedekindus creditur dominus Minda, Osnabruga ad Bremam usque, undique circa Visurgim, ut & Paderborna.
75. Plerosque Comites Westphaliae Auctor existimat Gallica originis.
76. Prosapia Comitum in Schaumburg / & Ravensberg / sistitur.
77. Lippia Urbs quibus auspiciis condita sit?
78. Origo Ducatus Montis & Comitatus de Altena / qui postmodum audivit Comitatus de Marca e Munstero, &
79. e Göbellino adducitur.
80. Quis Friderici Comitatus Arnsbergici & Westphaliae pater fuerit?
81. Ex Rolevingiore censentur Comitatus & Domus illustres Westphaliae.
82. Quomodo ad Comites de Bentheim pervenerit Comitatus Tecklenborg / qui celebratur ut amplissimus & antiquissimus.
83. Castrum Oitzede in Canobium est mutatum, addita praefectura arcis Bordeborg.
84. Tecklenburgensium arcem & Oppidum Essen everterunt Osnabrugenses.
85. Diecklage / aliaque loca Tecklenburgicis ademit Episcopus Monasteriensis.
86. Comitatus Marcannus dilandatur ut amplissimus, qui cum Ducatu Clivensi, cui pridem adjunctus erat, per nuptias pervenit ad Juliacenses Duces.
87. Comitatus Waldeck amplitudo extollitur.
88. Comitatus Spiegelbergensis, cui Comitatus Pirmontanus innexus, per nuptias accessit Hermanno Simoni, Comiti Lippia.
89. Opinio Auctoris & Rolevingi de Comitatu Dinxlaken.



90. Oldenburgeris Comitatus describitur.
91. Deipholdicus Comes quomodo obtinuerit Dominium Borckeloe.
92. Limburgeris Comitatus Marcano Comitatus vicinus differt à ditione Vice-Pincernarum Imperii.
93. Quaratione Arnburgicus Comitatus pervenerit ad Colonenses, diversa adducitur scriptorum sententia.
94. Comitis Rebergeris Iohannis fata commemorantur.
95. Lippia Comitatus cum suis Dominis laudatur ab amplitudine ac antiquitate.
96. Baronatus & Oppidum Biren/ ubi?
97. Urbs Necklinckhusen/ hodie patet Colonensibus.
98. De Comitatu Lubinckhusen nihil certi auctori constat.
99. Comitatus Steenvordiensis & Dominium Gehmen ubi?
100. Horstmaria Comitatus quomodo pervenerit ad Monasterienses auctori ignorat.
101. Comitatus de Cappenberg / mutatus est in Monasterium Ordinis Pramonstratensium.
102. Comitatus & Dominia olim in Westphalia florentia à Rolevingto pretermisssa, &
103. alia Dominia cum suis titulis in Westphalia adhuc existentia enumerantur.
104. Quinam Principes & Comites, extra Westphalam degentes aliquid in ea possideant?
105. Dominia quorundam Baronum per Westphalam sita exhibentur.
106. De sede Comitum in Aslo conjectura.
107. Comitatus de Warburg ex donatione Henrici 11. Imperatoris transiit ad Paderbornenses.
108. Burgraviatus Strombergicus qua ratione Monasteriensis Juris sit factus?
109. Comitum de Hsenberg arx ubi sita & quomodo destructa sit?
110. Num Comites de Bidingen sint ex Hsenburgensium familia incertum est.
111. Ex Comitatu Hervordiensis constitutum est Monasterium Monialium Generosarum.
112. Opinio Auctoris de Abbatibus Generosarum Nobilium in Borckhorst/ Freckenhorst/ Nottelen & Mettelen.
113. Comitatum de Dortmund Urbis Tremonia Imperatorum gratia ad se pertraxit.
114. Non constat auctori, qua ratione Comitatus Schwalenbergicus, cujus Comes Advocatus extitit Paderbornensis Ecclesie, divisus sit inter Paderb. Episcop. & Comites Lippienses?
115. Comitatum Becht Monasterienses sui Juris fecerunt sub Ottone de Lippia Episcopo.
116. De Comitatu Werlensi, &
117. de Comitatu Brackel nihil innotuit solidi Auctori.
118. Comitatus Holte / cessit Osna-brügensibus.



119. *Varia de Comitatu Voim vel Voem/ sed nihil certi auctor refert.*
120. *Comitatus Jtter/ in vicinia Urbis Corbaniensis situs, obrigit Land-Gravio Hassia.*
121. *Comitatus Wilslein obvenit Ecclesia Coloniensi.*
122. *Sed Comitatum in Stoppelsberg putat Auctor ex parte cecisse Paderbornensibus, ex parte Lippiensibus.*
123. *Comitatus Haholt/ ad quem spectavit Lemgo / Lage / Detmolt / Süllbeck / &c. sub Henrico 3. Imp. pervenit ad Comites Lippia.*
124. *Dominium de Blanckenborg quomodo attraxerit ad se Praesul Coloniensis, illudque differat à Comitatu Blanckenburgico ad Harciniam.*
125. *Baronatus & Dominium in Alhus incerto titulo ad Monasterienses; &*
126. *Dominium Dissen armata vi ad Osnabrugenses venit: propeque Dissen situm est Dominium de Palsterfampe.*
127. *Dominium de Meinhovele etiam Monasterienses sunt nacli.*
128. *Arcem Dominorum in Ostenstein quando Monasterienses destruxerint?*
129. *Dominium in Dist Comitatus Arnsburgicus occupavit.*
130. *Dominium in Blote à Waldeckianis Comitibus dicitur Duci Juliacensi & Bergensi, qui Comes etiam erat Ravensberga, venditum.*
131. *Principatus Abbatis Corbeiensis à Ludovico pio est institutus.*
132. *Comitatus Delmenhorst quomodo à Monasteriensibus occupatus & à Comite Antonio de Oldenburg recuperatus fuerit?*
133. *Dominium de Lingen Burgundii ut feudum repeterunt à Comitibus de Tecklenburg.*
134. *Comitatus Sternbergicit ditto pervenit ad Lippienses Comites, relictis illius titulum Comitibus Schaumburgicis.*
135. *Dominatus de Rheda per nuptias filiae Comitis de Lippia creditur accessisse Comitibus Tecklenburgicis: sicuti*
136. *Dominium in Wevelinckhaven Bentheimensibus Comitibus.*
137. *Que Urbes ab hac parte Rheni ad Ducatum Clivia atque Geldriae pertineant?*
138. *Abbatia de Elte/ fundata est ex Comitatu Redichen.*
139. *Ad Comitatum Everstein/ Spectabant in Westphalia arces & praefectura Ottenstein ac Urzen/ quae cum toto Comitatu nunc spectant ad Duces Brunsvic. & Lüneburgenses.*
140. *In Comitatu Schaunburgico ad Westphalam pertinet Oppidum Rintsheln/ & Cœnobium in Möllenbeck/ quod cum variis Parochiis in absentia Mariti, Ufonis Bolckrath/ edificavit uxor Hiltberga.*
141. *Comes quoque de Honye ab hac parte Visurgis habet arces & praefecturas.*
142. *Dominus in Eulenberg ab hac Rheni*



Rheni parte possidet in Westphalia ar-  
cem & Urbem Werde.

143. Ex Meinolphibeonis extructum  
est cœnobium in Bodeken.

144. Quarundam vocum, scilicet

Senne, Sentsfeld/Strömberg/Seck-  
lenborg &c. originatio adducitur.

145. Auctor suam commentationem  
partim excusatione, partim

146. Voto finit.



Ere Paulus ter maximus Apostolus inquit omnes potesta-  
tes esse à Deo. Hinc quoque ita divinitus constitutum  
esse nullus dubito, ut Duces & Comites per Germaniam  
non solum, sed etiam in Westphalia constituerentur.

Nam ut olim in Westphalia & etiam alibi illum nominabant *Regem*, .1  
qui regebat exercitum & consiliis prævaluit aliis: unde Germanicum  
nomen *Rönig* à *Ründig* / peritia, quasi peritus: aut ab Heroica audacia,  
*ronlich* / qui aliquid tentare audebat; ita etiam *Duces* olim à ducendo  
exercitu nomen sortiti sunt, hinc germanicè *Herzog* / ein *Herr des Zoges*:  
*Fürste* quasi ein *Vorsteher* / oder ein *Führer* / latinè *Princeps*, quod sit  
primus: *Comites* quoque hinc nomen habent, quod essent laborum  
socii, tanquam consilarii Ducibus attributi, ut etiam hinc nomen sint  
sortiti germanicum *Graven*: Senes enim & canè consiliis & usu rerum  
experientiaque valere dicuntur, *Grav* significat canum, unde transfe-  
runt *Graven*: alii tamen hujusmodi socios sive Comites tales fuisse  
putant, qui persona & autoritate valuerunt, ut inde *Graffen* dicti sint à  
*graaff* / daß sie seine grave / herzliche / wohl gewachsene Mannes gewesen sind:  
nonnulli istos socios sive Comites inde appellatos *Greesen* putant, quod  
propterea sint Ducibus adjuncti, quod agilitate & dexteritate apprehen-  
derint & turbarint hostes, vom *greiffen* / angreifen / qui non fuerint timidi:  
Nam multum interest Ducibus tales habere collegas, qui deposito  
timore sint primi in acie contra hostes, &c.

Hujusmodi Duces Comitesque cum fidelem operam Cæsaribus 2.  
præstitissent sunt alibi prædiis, vel parte provinciae vacuae aliqua, vel  
quodam loco donati, & deinde istum Ducum & Comitum titulum  
postea retinere. Tales etiam in Westphalia expugnanda fuisse Ca-  
rolo Magno Comites, non est dubium.

Habemus igitur tales potestates à Deo. Verum nihil est in mundo 3.  
stabile, & subito casu quæ valere ruunt, omniaque sunt tenui in hoc  
mundo pendentia filo, ut inquit ille. Nam ut sunt à Deo potestates, ita  
eti-



- etiam videmus in hujusmodi potestatibus horribiles mutationes fieri quotidie propter peccata: hinc *Daniel* recte ait, Deum mutare & transferre imperia. Videmus quomodo ipsæ Monarchiæ sint translatae, exorta potentia & tyrannide quorundam, vel ad alias gentes sive duces: Hinc recte quoque *Syrach* cap. 10. dixit: Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitiam. *Prima Monarchia* fuit *Chaldea* vel *Assyriaca* quæ ad *Persas* translata est, & ab eis deinde ad *Græcos*, qui in varias partes, mortuo *Alexandro*, distracti sunt: & sequebantur deinde cruenta bella & horribiles mutationes post mortem *Alexandri*. Tandem devoluta est *Monarchia ad Romanos* & fuit sub *Augusto* potentissima,
4. quæ postea decrevit; & demum in Imperatores vel potius in Occidentale & Orientale Imperium est divisa. Postea *Barbari* & *Turci* Orientale invaserunt; & valde decrevit quoque Occidentale, quod vix in Germaniæ septis amplius continetur: nam aliquid inde nostro etiam tempore detraxit *Gallia Rex*; *Russus* quoque & aliquot reges *Livoniam* ad se transtulerunt, & de ea adhuc dimicant: timendumque est, generalem fore aliquando propter peccata nostra mutationem gubernationis in tota Germaniâ, ut vel *Turci* vel *Moscovitiæ* invadant Imperium & mutant gubernationem, atque occidant demum Principes, qui nunc
  5. nimium sunt securi. Item per Germaniam sunt sæpe in *Saxonicis*, in *Austriacis*, *Svevicis*, *Bavaricis*, *Burgundicis* & aliis Principum familiis multæ mutationes visæ, deque variis ipsarum familiarum & in eis Principatuum translatione ad alias familias & Principes, passim historiæ referunt. Sub non multis annis fuit visa quædam mutatio circa *Electorum Saxoniam* bis: de priori scribit *Krantius* in Saxoniam aliquoties; de secunda, quæ est nostro tempore facta, testatur *Sleidanus*. Quomodo *Austria* peruenit ad *Habsburgenses* Comites, & deinde ad *Austriacos Burgundiam* cum quibusdam aliis Ducatibus & Comitatus, ex historiis notum est. Studuerunt quoque olim miris modis amplificare suas ditiones Principes & Episcopi, hinc est sæpe mutatio gubernationis &
  6. familiarum facta. In *Ducatu Clivensi* est, veluti historiæ produnt, mutatio olim visa, dum Duce & hærede istius Ducatus, qui olim fuit ex quatuor istis Imperii Comitibus, mortuo, *Comes de Marka* sibi hunc à Cæsare impetraret. Sic aliquando *Ducatus Julia*, olim Comitatus,
  7. ad *Bergenses* peruenit *Duces*, qui tum *Comitatus in Ravensberg* etiam erant possessores. Fuerunt multi in Germaniâ Comites, qui, ut diximus, ita propter operam Cæsaribus navatam, quod Ducibus socii &



Comites fuissent, consecuti erant aliquot locos, unde titulum ferebant: Sed quomodo isti Comites aut in Duces sint translati, vel à Ducibus sive Episcopis rapti & quasi incorporati, ut ne de iis quidem sciatur, vel nomen ipsorum amplius extet, placet paucis exprimere. Nam ut *Polonia & Bohemia reges fuerunt olim Duces*, postea reges facti sunt per 8. Cæsares: ita *Ducatus Luceburgensis, Limburgensis, Geldriensis, Wirttembergensis, Clivensis, Juliacensis, Holsatiensis, Stormariensis, Deitmar-sienseis, & olim Brunsvicensis & Lüneburgensis, fuere Comitatus, & beneficio Cæsarum sunt mutati & exaltati in Ducatus*: Quidam Ducatus sunt empti aut occupati ab Episcopis, ut Episcopus *Wirtzburgensis* scribit se Ducem *Franconiæ*; & de *Halsatia* sibi ascribit titulum, ut opinor, Episcopus *Argentinen-sis*: Sic quidam Principatus, Dominia ac Comitatus à Ducibus vel Episcopis possidentur, quorum nomen hodie interiit. Ita ex *Bambergensis Comitatu*, mortuo Comite Reinol- 9. do sine hæredibus, Henricus Imperator cognomento sanctus, qui successit Otthoni III. *Episcopatum* fecit. Ex *Comitatu Mersburgensi*, mortuo quoque sine hæredibus Esico Comite, *Episcopatum* Mersburgensem condidit ad Salam. Episcopi autem cum semel obliti essent sui 10. officii, Reges gentium dominabuntur eis, & hi vocantur gratiosi, vos autem non sic, atque negligerent munus docendi, semper operam dederunt, ut amplificarent suas ditiones & dioceses: Et hoc recte facere se putabant, cum viderent Pontificem Romæ, qui se summum vocavit, hoc unum egisse, ut à Carolo Magno, deinde à Ludovico & reliquis Cæsaribus tot provincias, tot insulas, tot Dominia & amplissimas regiones consequeretur, veluti semel titulum universalis Pontificis acceperat à Phoca Parricida, &c. Hinc & ipsi Episcopi facti sunt audaciores & securiores ad omnia sibi rapienda, idque sine peccato fieri jam dudum sibi persuaserant.

Episcopus *Magdeburgensis*, teste *Krantio* cap. 27. lib. 6. *Saxonix*, II. *Comitatum Sonnerscheborg* / mortuo ultimo hærede sine prole emit à *Dovina in Queblenborg* / sorore ultimi Comitatis ibidem, & sic illius titulus hodie evanuit.

*Comitatum* egregium de *Witzenberg* / occiso obstuprum uxori 12. *Nobilis* cujusdam illatum cum conjugè gravida in lecto Comite, invasit Episcopus *Hildesimensis*, teste *Krantio* libro 6. cap. II. *Saxonix*, quam referat in *Wandalia*, ipsum accessisse cum aliis Ducibus in *Brunsvicis*. Ita ille Episcopus plures ad se transtulit Comitatus, ut *Comitatum de Peyn* & alios, &c.

E

Bre-



13. *Bremensis Episcopus*, teste Krantio libro 7. Saxoniae cap. 40. ad se transtulit ita *Stadensem Comitatum* amplissimum, & *Baronatum de Jitz* hode/ cuius facit mentionem Krantius lib. 9. cap. 11.
14. *Mindensis Episcopus*, ut *Chronicon Mindensium* simulque *Comitum in Schowenberg* indicat, ultra *Vifurgum* emit *Comitatum Stettin* wedde à Joanne & Gerardo Comitibus in *Schowenberge*, idem consecutus est *Comitatum Dominorum de Berga vel Schalkesberge*, &c. & partem dimidiam *Comitatus à Bunstorp* & quaedam de *Comitatu in Dassel* possidere Episcopus ibidem dicitur.
15. *Comitatus in Lochen* est in *Monasterium* vel *Abbatiam* per haeredes à *Mindensi Episcopo* versum.
16. Nostro tempore *Episcopus Moguntinus* transtulit ad se, tanquam feudum, egregium *Comitatum de Kentek* mortuo ultimo haerede *Philippo*.
17. Quod ad *Duces & Principes* attinet, multos *Comitatus* ad se transtulerunt, quorum nomina & tituli jam perierunt & non amplius extant: ita *Marchio Misnia Grojensem Comitatum* & alios incorporavit, *Marchio Brandenburgicus Comitatum Soltvedelensem cum aliis*. *Burgundici Duces* ut plures ita *Comitatum Lovanii*, *Landgravi Thuringia Comitatum in Orlamund* ad se traduxerunt, ut audio. Leguntur multi *Comitatus* circa *Albim* fuisse olim, qui perierunt: ut *Comitatus de Ringelheim* / *Principatus* sive *Comitatus de Werle*, item *de Wagria*, *de Raceborg*, *de Nordalbingia*, quorum saepe mentionem facit Krantius in *Saxonia*: atque opinor *Holsatos*, *Slesvicos* & *Stormaros Duces* de *Nordalbingia*, *de Wagria*, *de Ringelheim*, *de Werle* *Comitatus* & plures occupasse: nunc *Arcem Noveburg* obtinet *Dux Saxoniae de Lodenburg* / teste Krantio libro 12. cap. 1.
19. *Comitatum de Dannenberge* ex mandato *Caroli* 4. *Albertus Dux Lunenburgensis* invasit & suae ditioni adjecit, teste Krantio libro 10. cap. 3. *Saxoniae*. Nam antea *Comitis de Dannenberge Henrici* mentionem fecerat libro 7. cap. 21. & *arcem Castellanorum in Horneburg* quoque idem invasit, teste eodem lib. 10. c. 3.
- Brunsvicenses Duces* multos *Comitatus* ad se transtulerunt. Scribit enim Krantius lib. 12. *Saxoniae* cap. 31. quod *Wilhelmus Dux Brunsvigae*, dictus bellicosus, valde amplificaverit suam ditionem, eique adjunxit hos *Comitatus Everstein* / *Bunstorp* / *Hallermand* / *Wespe* / *Homporg*. Et *Henr. Leo Widekindi Comitis de Dassenberg* *arcem munitissimam in Harcinea montibus* expugnavit, teste Krantio c. 26. libri 6. *Saxoniae*. Et in Van-



dalia libr. 5. cap. 8. dicit *Comitatus de Homborg/ de Dassel & Wingenberg* accessisse *Ducibus Brunsviga*, Et in Saxonia libro 6. cap. 27 & libro 9. cap. 38. & 40. dicitur de *Comitatu Lodenrode* cui paruit *Hannovera* oppidū, veluti *Embecum Dasselienſi* Comiti, & *Alvelda Winzenbergico*: Ita fit mentio in divisione Principatus & Ducatus Brunsvicensis, apud Krantium in Saxonia libr. 8. cap. 32. *Comitatus de Luttersberg* quem cum aliis *Henricus senior* in possessionem acceperat: Legitur etiam apud Krantium libr. 9. Saxonia cap. 21. & 31. de *Magno, Duce Brunsvicensi*, quod in dotem acceperit *Marchionatum de Landesberg in Zangerhausen* & mirabilis est Deus in omnibus factis suis. Omnium maxime conquestus fuerat coram imperio *Theodoricus, de Landesberg Marchio, de Henrico Leone*, ut scribit Krantius libro 6. Saxonia cap. 38. & jam postea multi viderunt istorum adversariorum posteros & hæredes conjungi: *Arcem Castellavorum de Uſſeberg* obtinuit quoque *Albertus Dux*, ibidem teste eodem libr. 8. cap. 28. & 21. Et libr. 11. Saxonia cap. 12. dicit de *Baronibus in Calenberg*, &c. Et Krantius aliquoties dixerat etiam de *Comitatu de Northem* &c. Et hos Comitatus ac dominia possident Duces in *Brunsvic* / atque habent præterea amplissimam *Diocesim Hildesimensis* nunc sibi subjectam & propriam. Et si unquam est *Henrico Leoni* aliquid ademptum, certe posteris plurima quoque dominia accessere, quibus aliqua ex parte resarcitum fuit illud damnum: Atque sunt illi 20. adhuc Duces reliqui ex familia *Wedekindi Ducis Angariae*, unde adhuc pullum equinum in Conis gerunt.

Hæc dixi de vicinis ducibus; ita *Duci Cltvenſi* accessit *Comitatus de 21. Genep*, teste Chronico Coloniensium; & ut opinor *Juliacensi Comitatus 22. de Hensberg & Deist* &c. Sic aucti sunt Ducatus etiam in vicinia, & perierunt Comitatus multi. Itaque diximus nihil esse in hoc mundo stabile & diuturnum, omniaque mutari & ad alios usus transferri vel, in nihilum redigi. Id etiam in nostra Patria usu venit, ut varia mutationes ab initio fuerint. Itaque visum est quædam de his referre, ut nostri quoque Westphali cognoscant diversitates & mutationes, quæ factæ sunt in Westphalia olim. De Saxonibus diximus in libello, *de nominibus Saxonum & Westphalorum, atque populis*, qui olim in Westphalia habitaverunt. Jam multo tempore occuparunt hanc terram *Saxones*, & hæc dicta 23. est *vetus Saxonia*. Et certum est *Harminium Ducem*, quem *Vellejus 24. Cheruscorum & Longobardorum Ducem* appellat, habuisse possessionem *Westphaliae* per id tempus, (à quo dicta volunt nomina *Hermannus*,



Hartmannus, ) cum ille *Quintilium Varum* cum tribus legionibus dele-  
ret, quæ pugna in Westphalia in hoc Comitatu *Lippie* facta est, ut in pro-  
prio tractatu ostendemus plenius. Et non est dubium ipsum etiam hic  
25. sedes habuisse, atque extant adhuc reliquæ arcis dictæ *die Harmines-  
borg* ab *Harminio*, prope *Schier* versus *Luidam* oppidum. Et alii censent  
locum in sylvis & montibus *Lemgoiensis* urbis prope *Hilventrop* pa-  
gum, dictum *die Hamelborg* inde etiam nomen habere quasi *Harmini-  
borg* / verum ex longo intervallo mutatum esse nomen & corrupte di-  
ctum *Hamelborg* pro *Harminiiborg*. Locus est altus & fuisse ibi egregi-  
um propugnaculum reliquæ in monte adhuc indicant, & circumstan-  
tiæ multæ ac vestigia ostendunt forte & eximium ibi fuisse castrum.

- De sequentibus hujus terræ, qui *Harminio* successerint in gubernatione, *Rectoribus* nihil inuenio, nisi quod alii sentiant, teste *Krantio* lib.  
26. i. proœmio in *Saxonia*, *Ariovistum*, qui se opposuit *Cæsari* in *Galliis*, ante  
72. *Harminium* gubernasse *Saxoniam*, hoc est *Westphalam*; Qui vero postea  
fuerint *Duces* vel *Reges* *Saxonum*, non invenimus, nec eorum nomina  
exprimuntur. Numerat tamen aliquot *Saxonum* *Reges* *Krantius*,  
*Henricum*, *Sifridum*, ejusque filium *Hundingum*, deinde *Gelderum*, *Swer-  
tingum*, & *Hanesum* *Siwarumque*: atque hos cum *Danicis* regibus bella gessisse  
scribit libro primo *Saxonie*; sed ignoratur, an illi tunc in *Westphalia*  
habitaverint. Idem scribit lib. i. cap. 29. & 30. cum *Longobardi* omnes  
*Saxones* duxissent numero 20. millia secum in *Italiam*, *Clotarium* & *Sige-  
bertum*, *Francorum* reges, *Suavos* ad *Rhenum* sedentes in deserta à *Saxo-  
nibus* loca *Germaniæ* transtulisse: Postea *Saxones* pertæsi alieni im-  
perii in peregrinis locis, cum liberi fuissent, discesserunt à *Longobardis*  
28. ex *Italia*: Cumque venirent ad priorem patriam, *Suavi* à *Regibus* *Francia*  
donati terra *Saxonum*, cedere loco noluerunt, tandem promisit *Si-  
gebertus*, *Metensium* rex, ipsis restitutionem ad patrias oras, & suavitatis  
Saxoni-  
vis, ut paterentur dividi & partiri locum, & æquo jure illam terram cum  
*Saxonibus* una inhabitarent. Postquam autem illi cedere nollent, com-  
misit utrosque rex bello, & ceciderunt *Saxones*, manseruntque in locis  
olim *Saxonum* *Suavi*; tandem iterum collecti *Saxones* sedibus *Suavos*  
turbarunt. Postea capite 31. sic pergit *Krantius*: *Bartoldus* jam *Saxoni-  
bus* *Dux*, cum *Dagobertus* rex *Metensium* (quia forsitan *Sigebertus* oc-  
cubuerat) à patre *Clothario* *Francorum* rege, constitutus esset; ortum  
est inter *Bartoldum* & *Dagobertum* bellum, & *Dagobertus* occubuit ab  
hac parte *Rheni*, venit ei in subsidium Pater *Clotharius*, porrigens fi-



filio manus auxiliares, productis magnis copiis, eisque transpositis per Rhenum contendit ad filium: Castra tunc tenebat Bartoldus ad Visurgum, ibique pugnarunt, & cecidere Saxones, facti Francis tributarii.

Postea *Carolus Martellus*, Praefectus Pratorio regni Franciæ, bellum 29. instituit contra Saxones, ut illos ad fidem Christianam duceret; deinde filius *Pipinus*, ejusque frater *Gripho*, continuarunt bellum contra eosdem, tandem *Carolus Magnus*, factus rex & postea Imperator, per annos 30. gessit 30. bellum cum Saxonibus in Westphalia. Pergit autem in citato loco *Krantius* referre, quomodo *Wedekindus* fuerit Saxonum Dux (lib. 2. cap. 1. & 2.) & munitionem in *Siborg* habuerit, atque *Eresbergam* possederit, ac ipsi Saxones apud *Tuitium Rhenum* transgressi ad *Mosellam* usque omnia vastaverint, tandemque regressus *Carolus* in Westphalia ipsos fuderit & vicerit, &c. Interea non refert genealogiam *Widekindi*, sed 31. quomodo postea *Carolus* Ecclesias fundaverit, & eis Episcopos praefecerit *Osnaburgæ*, *Monasterii*, *Paderbornæ*, & *Minda*, atque in singulis locis praedia & dominia Ecclesiis attribuerit. Interim solus *Wedekindus Anga-* 32. *ria Ducatum in Westphalia tantum retinuit* & in ea moratus est. Et quamquam arcem praecipuam Angariæ jusserat sibi in potestatem redigi *Carolus*, teste *Krantio* lib. 2. c. 11. attamen converso *Wedekindo* concessit rursum arcem suam; licet antea ab istis Anglariis, apud quos summa erat Saxonum potestas, obsides accepisset, teste eodem, lib. 2. cap. 22. Tametsi *Wedekindus* etiam zelo novæ religionis motus concesserit partem arcis suæ circa *Visurgim*, in loco, ubi nunc est *Minda* urbs, Episcopo novo, tamen ille solam deinceps Westphalia gubernavit in sua provincia, ut *Krantius* scribit eodem libro cap. 24. *Wedekindus* exceptis his, quæ Episcopis concessa erant. De filiis *Wedekindi* sic pergit 33. ibidem scribere cap. 26. quod ut ille *Wedekindus* mortuus & sepultus erat in *Angria*, ita *Wigbertus* filius & nepos *Wedekindi* ex *Wigberto Walbertus* habuerint sedes in *Weldeshusen* & ibi, veluti pater avusque *Wedekindus* in *Engeren* collegium fundaverat, collegium instituerint, ubi etiam sepulti sint. *Bruno* enim & *Walbertus* erant filij *Wigberti*, *Bruno* genuit *Ludolphum*, qui primum favore Cæsarum progressus est ultra *Visurgim* in Orientalem Saxoniam, cepitque dominari ibi, & is genuit *Brunonem*, *Tanquardum*, & *Ottonem*: à duobus prioribus dicitur *Brunsvicum* ædificatum. Hinc cap. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. & 33. ponit in libro 2. Saxoniam *Krantius* genealogiam à *Wedekindo*; verum paulo aliter 34. hanc refert *Pencerus*, cujus verba hæc sunt: *Sighardo*, qui contra *Dago-* ber-



bertum Francum bella gessit, (quem tamen Bartoldum nominat Kran-  
tius,) patre natus *Ditericus*, quem *Carolus Martellus* oppugnavit, reli-  
quit filium *Wernechinum*, Ducem *Angariorum & Iburgi*. Hoc nati sunt *Wi-  
dekindus & Bruno* fratres. *Widekindus* cum *Carolo magno* dimicavit: *Bru-  
none* natus est *Ludolphus*, quem *Ludovicus pius* Ducem *Saxonie* constituit,  
procreavit filios quatuor, & inter hos *Ottonem magnum*, patrem *Henrici  
Aucupis* Imperatoris, &c.

Ex *Widekindo* nati sunt *Widekindus junior*, *Soraborum* prefectus; &  
*Wigebertus*. *Widekindus* filios habuit *Widekindum & Ditzgremū*: ille con-  
ductus à *Carolo Caluo* profectus est in *Galliam* contra *Normannos*, ducto  
secum in *Galliam* *Ruperto* filio, qui postea factus est *Dux Andium*: Ex hoc  
*Ruperto* nati sunt reges *Gallie*. Habuit enim duos filios *Ottonem*, regem  
*Franciae*, & *Rupertū*, qui cum fratre mortuo regnū *Gallie* affectaret, *Ca-  
rolo Simplicis* capto, tandem interfectus est, & reliquit filium *Hugonem mag-  
num*, Comitem *Pariseorum*, & nepotem *Hugonem Capetum*, qui regnum  
*Franciae*, deleta *Caroli* posteritate, occupavit. *Ditzgremum* alterum *Wi-  
dekindi* filium, *Otto magnus* patruelis pepulit *Saxonia*, filium ejus *Dir-  
marum* *Henricus Auceps* restituit. Hujus *Dirmari* filius *Ditericus* pater  
est *Marchionum Misniae*, qui nunc tenent electoratum *Saxonie*. *Wig-  
bertus* *Widekindi* junioris frater ex *Walberto* filio nepotes habuit qua-  
tuor fratres *Regenbertum*, *Ditericum*, *Widekindum*, *Immodum*, quem alij  
*Amadeum* vocant. *Regenberti* illius opera feliciter usus est *Henri-  
cus Auceps* in bellis *Danicis*; *Ditericus*, cujus filia *Melchitildis* nupta fuit  
*Henrico aucupi*, celebratur in historiis titulo *Comitis in Ringelheim*. *Wi-  
dekindi* filius *Almarus*, utroque parente religionis ergo profectis in  
*Galetiam* & laboribus itineris extinctis, infans educatus est in *Italia*, unde  
tandem potitus est ducatu *Taurinatum & Eporegia*, primus se *Marchio-  
nem Montis Ferrati* nominavit, consensu *Otonis secundi*, cujus filiam *Udel-  
heiden* quam alij *Alasiam*, alij *Volesiam* depravate nominant, rapuerat.  
Ab hoc origo est *Marchionum Montis Ferrati*. Quartus *Imodus* seu *Ama-  
deus* pater est stirpis *Ducum* apud *Allobroges*, quos vocant *Duces Subaudie*.  
Hæc ex *Peucero* retuli, qui paulo aliter refert genealogiam *Widikindi*,  
35. & dicit *Wernechinum* patrem *Wedekindi* magni, quem interdum annales  
36. regem appellant, Ducem fuisse *Angrivariorum & Iburgi*, hoc est totius  
37. pene *Westphalie*: Nam nomen *Westphalia* tunc in usu adhuc non fuit.  
38. Quia ut *Angrivarii* à *Vifurgi* ad *Lippie* usque ripam sederunt, ita *Ibur-  
gum* quod nunc *Driburgum* dicitur, fuit præcipuum propugnaculum ultra  
Lip-



Lippia, quod dedit Carolus magnus Paderbornensibus: alii tamen hoc de Siburgo ad Ruram prope Tremoniam intelligunt. Ertwinus in suo Chronico intelligit de Iborg in ditone Osnabrugensi. De Angaria vel Engeren sic ait Peucerus: Engeren in Westphalia ad Amasi caput & Visurgis Lippiaque ripam, &c. 39.

Sed si ad Ripam Lippia se extendit Engria Ducatus, miror, cur in Coloniensi Chronico & simul in annalibus urbis Lippia, expresse dicatur: *Susatum urbem esse caput Ducatus Angaria*, postquam illa Urbs ultra Lippiam flumen sita. Sed fuisse *praeipuum Wedekindi arcem in Engeren* testatur Krantius libro. 2. cap. 11. Saxoniae, & ipsum circa Visurgum potestatem secularem habuisse cap. 22. ait, quod etiam hinc mihi fit verisimile, quod & *Minda* & prope *Osnaburgam arcem in vicinia Visurgi habuerit*, ut ex Krantii Metropoli & Mindensi Chronico cognoscitur, atque reliquia satis indicant in vicinia urbis Osnaburgensis (vide etiam Krantium in Metropoli libro 1. cap. 2. & 9.) Dux Wedekindus deinde 40. non est dubium quod in *Wilseshusen* quoque *arcem & propugnaculum habuerit*, quia ibi & filii collegium fundarunt, sedesque habuerunt & mortui sunt, ut in Saxonia libro 2. cap. 26. scribit Krantius. Verum rursus me movit hoc contra, quod *Syborg arx, cujus Vestigia ad milliarem à Tremonia extant, circa montem de Junfferensprunck* dicatur à vicinis rusticis 41. *Widekindi regis fuisse*, atque asserant puteum adhuc eodem in loco extare, in quo volunt *Widekindum baptizatum esse*, quod tamen mihi non fit verisimile. Interim annales asserunt atque Krantius de fortissimo Saxonum propugnaculo *Siborg* / quod alii situm esse ajunt supra Coloniā, ubi est celebris Abbatia, quod etiam inde confirmant, quia in Chronicis Mindensium legitur, quod cum demoliretur Daniel Berner, Praepositus Mindae arcis & turris, ex reliquiis castri Wedekindi quod reliquum esset, invenerit oculos cadaverum humanorum, quibus multae ollae Siburgicae erant adjunctae, unde captivi hauserint potum sine dubio. Verum *Wernerus Rolevingus* in libro de laude Westphalia, quem ante años 80. scripsit, parte 1. cap. 3. aperte scribit: istud propugnaculum fuisse situm supra fluvium Rure prope Tremoniam. Annales vocant illam *Sigeborg* / forsan à fortuna *Siechshaben* / *arx victoriosa*. Verum ut olim Angariae regnum (quia interdum etiam regnum dictum est, ut testatur Krantius libro 2. Saxoniae cap. 26. atque ipse *Wedekindus non-* 42. *nunquam rex Angrorum vel Saxonum dictus est*, teste eodem in Metropoli libro 1. cap. 9.) non ad ripam Visurgi verum etiam ultra Visurgum se



se extendit: ita potest etiam fieri, ut ultra Lippiam se extenderit Ducatus Angrivariæ, & sic fuerit etiam in eo Ducatu *Susatum* urbs, tanquam caput ab ista parte incipiens. Fuisse ultra *Visurgum* extensum regnum sive ducatum *Angaria* dixi, quod in *Annalibus Hamelensis urbis* legitur, & monumenta Collegii *Hamelensis* testantur, quod ultimus Comes, nomine *Bernhardus* cum *Christina* uxore baptizatus sit à *D. Bonifacio*, atque deinceps ex suo Comitatu *Ecclesiam Hamelensem* & collegium fundaverit *Canonicorum Regularium*, atque reliqua bona, prædia & regionem dedit *Abbat* 44. *Fuldensi*, ante adventum *Caroli* in *Saxoniam*. Qui *Abbas* postea, ut ibidem in *Archivis* legitur, vendidit *Widikindo Comiti Hoyensi*, tunc *Episcopo Mindensi*, vicum *Hamelen* anno 1259. & reliquum dominium, quod olim ab isto Comite *Bernhardo* consecutum erat dono *Monasterium* in *Fulda*. In *Chronicis* quoque *Mindensium* aperte legitur, quomodo venditio inter *Episcopum* & *Abbatem* sit *Colonia facta*; verum hanc venditionem non fuisse permittente & concedere ratamve habere *Comitem in Everstein* & *cives Hamelenses*, (quia tunc factum erat ex pago oppidulum) *Comes* enim ratione dotis & præfecturæ alicujus non nihil juris habebat in oppidum & vicina loca. In *Chronicis* autem *Schowenburgensium* *Comitum*, quæ congestit *Hermannus de Lerbecke* Monachus *Mindensis*, & sunt restituta per *D. Lambertum* à *Bevesen* præpositum Collegii ad *S. Joannem Osnaburgensis*, expresse nominatur ille *Abbas*, qui ita rationem cum *Widikindo* *Episcopo Mindensi* iniit, nomine *Henricus*, qui *Hamelen* cum omni jure & proprietate vendidit *Episcopo*; verum *Comes in Everstene* advocatiam prædicti oppidi & *Ecclesiæ* jure *Homagii* possedit, itaque nec ille nec cives hoc permiserunt, & sic ortum est inter eos bellum, paulo post autem se dederunt in potestatem Ducum *Brunsvicensium Hamelenses*, &c.

Fuisse autem titulum istius ultimi *Comitis* talem legimus: *Bernhardus Comes regni Angaria de Dissen* &c. Fuit ergo sine dubio alter *Comitatus de Westen* ejusdem tituli de *Angaria*. Quare potest fieri ut *Widikindus* istam partem possederit usque ad *Visurgum* in ea regione, quæ 45. *Westphalia* est, & facile crediderim pertinuisse olim *Susatum urbem ad Angrivariæ ducatum*, sed interim hoc est considerandum, quod tamen *Widikindus* fortiter pugnaverit contra *Carolus* per annos triginta, & aliquoties dejectas & convulsas munitiones in *Eresborg* & *Siborg* munitur: de *Coest* castro tamen vel recuperato vel olim superato nusquam legitur, verum *Chronicon Colonienſe* & simul *annales civitatis Lippie*, refe-



referunt etiam tum *Soest* fortissimum propugnaculum fuisse sub Dominio 46.  
*Coloniensis* Episcopi: *Dagobertum* enim hoc castrum expugnasse, (cujus  
 etiam antea facta est mentio) debellatisque Saxonibus hoc donasse postea  
*S. Episcopo Cuniberto*, qui ejus filium *Sigibertum* instituerat. Hoc qui- 47.  
 dem videtur verisimile, verum horum nihil habent *annales* vel *Ecberti*,  
 vel *Monachi Corbiensis*, vel *Krantii*, vel *Rolevingii*.

Itaque alii putant primum pervenisse *Susatam* ad jus *Coloniensis* Episcopi,  
 cum *Saxonia* privaretur *Henricus Leo*, quod ex *Gobelino* falsum esse de-  
 monstratur, qui scribit de *Bernardo Lippiensi* & *Widekindo Reiden-*  
*seni* Dominis, quomodo illi cum starent à partibus *Henrici Leonis*,  
 (quod etiam præsertim de *Lippiensi* non negat *Krantius* in *Saxonia*)  
 armata manu contra *Susatam* venerint, & provinciam incendio undi-  
 que vastaverint, & oppidum *Medebach* incenderint. Contra vero le-  
 gitur, *Coloniensem* Archiepiscopum arma sumpsisse in *Henricum Leonem*  
 Ducem: deinde idem *Gobelinus* scribit quod cum *Henricus* 5. invaderet  
*Coloniensem*, specialiter *Susatenses* petierit, &c. Et habuisse jam antea  
 aliquid juris in *Westphalia* *Coloniensem* Episcopum, ex verbis *Go-*  
*belini* apparet: postquam *Henricus Leo*, Dux *Saxonie*, & Episcopus 48.  
*Coloniensis*, ac deinde *Paderbornensis*, *Mindensis* & *Monasteriensis*  
 Episcopi obsederint urbem & arcem *Comitis de Arensburg* (quia *Henricus*  
*Comes* in vinculis fratrem suum captivum tenuerat, in quibus etiam  
 mortuus erat) & ceperint arcem cum urbe, ipse vero postea se dede-  
 rit & sua *Coloniensi* Ecclesie, tandem restitutus sit suis & patrie per  
 Episcopum *Coloniensem*: ita plus juris consequabatur *Coloniensis*  
 Episcopus. Idem *Gobelinus* dicit, quod partem Ducatus *Saxonie* ha-  
 buerit in diocesi *Coloniensi* & *Paderbornensi* *Henricus Leo*, unde  
 colligunt quidam, jam tum quaedam in possessione habuisse *Coloni-*  
*ensem* Episcopum in *Westphalia*; sed ego ista verba, in diocesi *Colo-*  
*nien*si & *Paderbornensi*, sic intelligo, daß do die *Cöllnischen* ein Theil und  
 auch an etlichen Orten des Gebiets de *Paderborneschen* haben ihren Kresent  
 und geistliche jurisdiction dar gehabt/ und sunst nichts/ gleich wie altunges  
 auch die *Bileveldens* werden dioceseos *Paderbornensis* genennet/ sci-  
 licet quod ad veterem Ecclesiasticam jurisdictionem Episcoporum at-  
 tinet, alioqui *Bileveldia* paret *Comiti*, qui à *Corvis* nomen habet. Sic  
 Episcopi *Monasteriensis* & *Osnaburgensis* suam olim habuere juris-  
 dictionem per *Comitatum Tecklenburgensem* separatim. *Susatam* 49.  
 autem in initio fuit castrum & praefectura, qua crevit in urbem magnam po-  
 stea,



stea, & ideo puto illam latine *Susatum* dici, quod aliquid ad castrum accesserit, ein *Zusat*/ diciturque illa urbs tunc prædia & pagos retinuisse, qui antea isti præfecturæ parebant, hinc est illa urbs dirissima inter Westphalicas. Volunt etiam nonnulli inde sibi supmisisse titulum *Angaria Coloniensem Præsulem*, quod *Susatum* in *Angaria* caput esset: addidisse etiam ipsum *Westphalia* ducatum titulo, cum *Comitatum de Arnsberg* & partem ex eo, quod *Henricus Leo* possidebat, sibi totum vendicasset, quia plerique *Comites de Arnsberg* (præcipue *Fridericus*) teste *Gobelino* & *Krantio*, solebant se scribere *Comites Westphalia*: Alii interim *Arnsberg* putant dictum quasi *Angersberg*/ tanquam ibi inceperit ducatus *Angaria*; sed fuerunt tunc adhuc *Comites de Arnsberg* longo tempore post: & contrarium dicitur in *Coloniensi Chronico*, scilicet *Alterum ducatum* nempe *Angaria* esse prope *Hervordiam* situm, ibique fuisse primariam arcem & propugnaculum totius *Saxoniae*.

Interim certum est, ante *Henricum Leonem* quasdam possessiones habuisse in *Westphalia Coloniensem*, *Tuitium* cum munitione, item superiorem arcem *Siborch* supra *Coloniam*, quam *Chronicon Coloniense* dicit ideo *Siborch*/ quasi *die Henrichsberg* dici, ubi *Episcopus* curavit ædificari *Monasterium*; atque eundem *Episcopum* in *Comitatu Westphalia* constituisse quoque *Monasterium*, refert idem *Chronicon*.

Videmus igitur quod interdum fuerint, qui se *Comites Westphalia* scripserint, ut etiam *Comites Angaria* fuere, & simul *Comitatus Westphalia* & *Angaria*, &c. qui sunt nunc *Ducatus*: Nam *Westphalia* & *Angaria Ducatus* titulo investivit in *Beilhusen Fredericus rex Coloniensem Præsulem*, quanquam antea istos titulos sibi non vendicaverat *Henricus Leo*, cujus titulus, referente *Munstero*, hic fuit: *Henricus Leo, Dux totius Saxonie & Bavaria, Pfaltzgravius Rheni, Comes Brunsviga, Lunenburga ac in Northem*. Interim idem *Munsterus* scribit in *Cosmographia*, quomodo anno Domini 934. *Christiani Duces* contra *Infideles Vandalos, Slavos, Rutthenos & Gothos* pugnaverint, & fuisse tunc in *Comitatu Cæsaris Henrici primi Ducem Westphalia* & *Ducem Engaria* &c. Itaque nihil certi de utroque isto *Ducatu* pronunciare possumus.

Hoc interim certum est, quod posterius *Wedekindi* adhuc in possessione habuerint aliquandiu *Angariam* ad *Visurgim*, & partem *Ducatus*, qui olim fuit *Iburgi*, de quo diximus. Nam libro 3. cap. 1. *Saxonie* testatur *Krantius*, *Henricum Ottonis filium*, qui factus *Imperator* dictus est *Henricus Auceps*, fuisse in urbe *Eresburga* & illam urbem possedisse,



sedisse, & capite 3. ad finem dicitur, Conradus se in Henricum Saxo-  
nem armavit, ejusque arcem Mersberg oppugnavit, multis copiis pro-  
ductis, ab utraque Rheni parte plurima vastavit. Item 12. cap. sic  
scribit: *Henricus Auceps Canonicorum collegium, quod fundavit Wede-* 55.  
*kindus abavus ejus, in Angria transtulit in Vallerseve, constituens ibi E-*  
*piscopum Marcum, magnæ sanctitatis virum, sed inde postea hoc Otto I.*  
*transtulit in Magdeburg.* Cum autem ex Angria transtulisset colle-  
gium Henricus rex, ejus uxor Maltildis postea novum ibidem erexit:  
item capite 15. Ceperunt se opponere Everhardus, Conradi, qui ante 56.  
Henricum rex erat, frater, cum aliis, inter quos erat Ottonis Impera-  
toris frater Henricus, regi Ottoni I. & accepit in deditioem *arcem &*  
*urbem Cresborg/ sed Otto oppugnavit urbem valido exercitu, atque ve-*  
*nit etiam rex ad Tretmont/ nunc Tremoniam, quæ paruit Henrico, sed*  
*armis coacta est urbs illi cedere.* Gobelinus clare dicit, quod *Cresberg*  
*urbem tenuerit Henricus frater Ottonis, & in ea sit captus ab Everhar-*  
*do Francorum Duce, verum liberatus postea à rege Ottone, interim*  
*adhuc jam liberatum Henricum, qui erat Dux Bavarix, se fratri oppo-*  
*suisse cum Gisiberto, Lotharingæ Duce, hisque cognitis collegisse*  
*Ottonem regem exercitum, cum quo Rhenum transire decreverat, &*  
*pervenisse ad urbem Tretmont/ quam nunc Tremoniam dicimus Henrico*  
*fidelem, cepisseque eam, & capitaneum ejus dictum Uzman juramento*  
*astrinxisse, ut Henricum fratrem suum, quantum in eo esset, ad concor-*  
*diam sui reduceret, &c.*

Cum igitur ostenderim circa Visurgum adhuc dominium habuisse  
*Henricum I. regem in Angaria, quod etiam posteri retinuerunt, quia Otto* 57.  
*III. sedit aliquandiu in Bilseshusen/ ut Krantius libro 4. cap. 23. Saxo-*  
*niæ testatur, clariusque refert in Metropoli lib. 3. cap. 47. & deinde in*  
*Chronicis Mindensium legitur, quod rex Conradus II. per biennium mo-* 58.  
*ratus sit Minda, & habuerit ibi sedes up dem Rampe sub Wigiberto: at-*  
*que demonstraverim posteros quoque Widekindi ex illo ducatu Iburgi-*  
*co, quod diximus in superiori Westphaliæ parte extare, partem tenuis-*  
*se præsertim Cresborg arcem & urbem antiquam Saxonum, & Tremon-*  
*iam imprimis paruisse Henrico fratri Ottonis: nunc quoque dicam,*  
*quomodo istis privati sint postea hæredes & posteri Wedekindi. Erant* 59.  
*per id tempus valde irapudentes mendici Episcopi, qui semper instite-*  
*runt tum hoc tum illud impetrare ab Imperatoribus: sic Mindensis Epi-*  
*scopus Landwardus accepit primum regalia politici Magistratus ab Otto-* 60.  
*ne*



ne primo, deinde *Theodoricus II.* Episcopus, quæ illi adhuc deerant & quæ ad plenam potestatem principalem attinebant, impetravit ab *Henrico Cæsare*. Sic multa *Henricus II.* cognomento sanctus attribuit *Diaecesi Paderbornensi*, de quibus legitur apud Gobelinum, atque etiam *Conradus II.* Factum est etiam, ut sic *arces*, quas olim *Wedekindus*, & deinde ejus posterii habuerunt *Minda* ac prope *Osnaburgam* & in *Wildehusen*/mendicando ad se transtulerint Episcopi.

Krantius scribit libro 3. Metropol. capite 47. *Wildehusen diæcesis Bremensis esse*: Monasterienses interim Episcopi merum ibi habent dominium & potestatem politicam nunc, Ecclesiasticam vero ibi habent *Osnaburgenses*, denn es ist *Ossenbruggisch Krefem dar*. Quomodo *Eresburgum* oppidum nunc pareat *Coloniensi*, & is dominium in illam urbem consecutus sit, expulso *Henrico Leone*, postea fiet notum. *Tremonenses* an paruerint *Henrico Leoni*, plane ignoro, audivimus tamen, quod posteris *Wedekindi* paruerit nempe *Ottonis I. fratri Henrico urbs* illa: an vero ille *Agman*/ quem ita nominat *Gobelinus* & capitaneum vocat, tunc fuerit *Comes Tremoniensis*? ignoro. Quia certum est fuisse *Comites de Tremon*/ quorum Comitatum adhuc retinet *urbs Tremoniensis*, quæ jam per multos annos fuit Imperialis. Vidi literas civitatis istius, ubi expresse habebatur: *In unser Graffschaff*/ &c. quanquam *Gobelinus* testetur, *Tremoniam Henrico* adhuc quinto paruisse, sed non addit, an nomine Imperii, vel jure hæreditatis. Diximus interim ex *Gobelino*, aliquid juris & domini habuisse *Henricum Leonem* in *Westphalia*, illudque fuisse in *Coloniensi* & *Paderbornensi Diæcesi*. Sed jam videamus, unde hoc habuerit,

65. Krantius scribit libro 5. *Saxonie* cap. 25. *Ludero* majores erant à proavo usque *Comites de Quervorde*, qui titulus usque hodie manet ad *Harciniam*: Sed nobiles per successionem materni generis, aut per initam affinitatem, nonnunquam mutant titulos, unde factum est ut pater *Luderi Gebhardus* *Comes esset de Suppelenberge* & *Comes de Arnsberge*. Item sic idem scribit libro 6. capite 1. *Gebhardus*, *Comes de Quervorde*, genuit *Bruckhardum*, qui rursus genuit *Gebhardum*, *Luderi Ducis patrem*. Solent etenim nobiles titulum mutare vel ex successionem materni generis, vel ex dote, quam accipiunt, vel ex Principum & Regum collatione, unde factum est, ut hic novissimus *Gebhardus* vel *Gerhardus* & ejus filius *Luderus* dicerentur *Comites non de Quervorde*, qui titulus hodie extat in *Harcinia*, sed de *Suppelenberg*/ qui ante nos titulus evanuit, &c. Idem



Idem Krantius scribit libro 5. cap. 25. quomodo *Luderus Comes de 66.*  
*Suppelenberg* (forsan *Stoppelberg*) & *Arnsberg* filiam *Comitis de Northem* duxerit, cum qua est istum non solum Comitatum consecutus, sed etiam Brunsvicensem & Luneburgensem Comitatus, quos mater prædictæ filia adduxerat in dotem Comiti de Northem. Fuit enim *Luderi uxoris mater Gertrudis, Ecberti, Marchionis Saxonie*, filia, quæ consensu Imperatoris *Henrici 4.* ista dominia viro dotis loco attulerat. Itaque in *Westphalia* habuit sine dubio partem *Comitatus de Arnsberg* / cuius sibi vendicavit titulum, & multa jam etiam consecutus erat in *Saxonia* dominia *Luderus*, quibus hoc accessit, quod *Henricus V.* ei attribueret *Magni Ducis*, sine mascula hærede morientis, *Ducatum ad Visurgum*, propterea quod ei navaverat operam contra patrem *Henricum IV.* Et quia tunc omnium *Saxonie* Principum hæreditatem consequebatur, sine dubio etiam hoc consecutus est deinceps, quod adhuc reliquum erat *Saxonibus Heroibus* in *Westphalia* ex istis dominiis, quæ paruerant olim *Wedekindo* & ejus filiis.

Et non est dubium, quod non parvas possessiones vel dominia habuerint in *Westphalia*, quia præter id quod ex *Saxonum Principum* hæreditate habuit, fuit ei quædam pars *Comitatus de Arnsberg* / cuius ti- 67.  
 tulum gessit: quem *Comitatum amplissimum fuisse* vel ex eo cognosco, quod *Fredericus Comes de Arnsberg* / qui se *Westphalie* Comitem scripsit, & tunc vivente *Ludero* partem *Comitatus* tenuit ibidem, potuerit suo tempore omnes fere reliquos *Westphalos* subigere, *Coloniensem*, *Monasteriensem* & *Paderbornensem* Episcopos, atque alios: Et quemadmodum cum *Ludero* aliquando oppugnavit & vicit *Henricum V.* ita rursus idem Imperator ejus opera usus est contra *Saxones*: Ignoro tamen, an aliquid amplius præter istum *Comitatum*, vel potius ejus partem de *Arnsburg* / habuerit, postquam auferet se scribere *Comitem Westphalie*, quia *Otonis Bavariæ Ducis* & *Saxonie* filia fuit *Frederici* mater. Vide de his rebus *Gobelinum*, qui etiam scribit, quomodo domuerit *Monasterienses* aliquoties ( de qua re quoque refert alibi *Krantius* ) *Luderus* cum illo *Frederico*.

*Luderus* factus Imperator non habuit masculam prolem, sed *Ger- 68.*  
*trudem* filiam collocavit *Henrico Superbo*, *Bavariæ Duci*, hujus avus *Maternus* erat *Magnus Dux Saxonie*, cuius ducatum acceperat *Luderus* beneficio *Henrici V.* quem tamen postea oppugnavit, & ita *Henricus* *Bavarus*, cognomento *superbus*, redit ad maternam hæreditatem,



quia ei Luderus Imperator in dotem attribuit totam Saxoniam, sub qua erat etiam pars Westphaliæ illa comprehensa. Ex hoc est natus Henricus Leo, parens omnium Ducum Brunsvicensium & Lunenburgensium, qui cum diu omnia præclare gessisset tam in Saxonia quam in Westphalia, excidit tandem gratia Cæsaris Frederici Barbarossa, & ceperunt tunc inimici ejus evigilare, inter quos erant *Colonienses Episcopi*, qui bolum istum diu famelici appetiverant, & prædæ huic insidiati erant. Nam *Reinoldus Episcopus* sæpe insidias struxerat Duci Henrico Leoni, totoque consilio intentus fuerat isti expugnando, teste Krantio libro 6. Saxoniae capite 20. sed ipse diu occasionem quæsit, & dum illam habere non potuit, moritur, eique successit *Philippus*, quem Comitem de Dassel nominat Krantius; verum *Chronicom Coloniensium* dicit, Antecessorem ejus Reinoldum fuisse Comitem in Dassel; Philippum vero Dominum de Hinsberg. Hic inquam, ut pergit Krantius libro 6. c. 38. devastavit terram Henrici Leonis, & incendiis Westphaliam turbavit & ita processit usque ad *Quernhamelen*: ab altera parte ipsum quoque invaserunt *Episcopus Bremensis*, *Magdeburgicus*, *Halberstadianus* & *Hildesimensis*. Imo cap. 39. sic scribit Krantius: *Philippus Coloniensis*, iterum expeditione facta, processit in Westphaliam, Ibi nihil sanctum, nihil religiosum, incendia prædæ omnia miscuere: Effracta monasteria, violatæ sacrae virgines, vix expleto ministerio calices rapti de altari. Tantum autem sibi ex illo tempore juris vendicavit in eam terram, ut in reliquum se semper scriberet, cum posteris, Ducem Westphaliæ, &c. *Gobelinus* scribit, quod *Hoxariam* quoque, oppidum *Abbatibus Corbiensis*, ad injuriam Ducis Henrici Leonis incendio vastaverit. Stetit *Comes de Lippia* à parte Ducis, *Comes autem de Ustena* à parte Coloniensis, & illi interim rapinis & incendiis turbarunt omnia, &c.

Videmus hic pulchre descriptam pietatem & sanctum Episcoporum officium, quod tunc fuit rapere, vi violentiaque agere, incendiis vastare, virgines violare & omnia tentare. Hinc est quod aperte scribit *Peucerus*: *Episcopus Coloniensis ex ea direptione ad se vi traxit ducatum Angrivariorum in Westphalia*, qui in transactione adjudicatus erat *Bernhardo*. *Gobelinus* autem in suo *Cosmodromio* sic ait: *Anno Domini 1180. in conventu Principum, apud Geilhusen celebrato, per sententiam Principum Duci Saxonia Henrico Ducatus suus abjudicatur* (hæc sunt verba ejus) *& partes istius Ducatus, qui erant in Coloniensi & Paderbornensi Diœcesibus ultra Visurgim, dantur Philippo, Coloniensi Archiepiscopo*



po, & Bernhardo Comiti de Anholt/ filio Marchionis Alberti: cæteræ partes Ducatus ipsius, quæ erant in Saxonia, conceduntur ei, &c. Hinc est, quod adhuc *Duces in Lowenborg Saxonia se, scribant quoque Duces Angaria & Westphalia;* quanquam nihil amplius in Westphalia præter feudum habeant, quod ego cognoscere potui. Krantius tamen lib. 7. in Metropoli capite 8. dicit, illam Westphaliæ partem Coloniensi Episcopo ab Imperatore concessam, & antea libro 6. capite 34. dixerat: Per Imperium Ducatum Westphaliæ adjunxit suæ Ecclesiæ Coloniensis, &c.

Angaria præcipuum propugnaculum, vel castrum dictum Enger/ 71. in possessione habuere Comites de Lippia; quomodo autem ad istam possessionem venerint, *etsi diligenter investigaverim, nondum tamen cognoscere hætenus potui.* Sic scribit Krantius in Metropoli lib. 8. c. 52. *Simon de Lippia tenebat arcem in Engern/ veterem sedem Principum antiquæ Saxonix, Wedekindi & filiorum ejus, unde nomen Angliæ Saxoni-* 72. *bis, quod olim intulerunt Britannix, ut ex eis dicitur Angliæ, quod nomen servat in hodiernum: servatura ut creditur in finem.* Et mox, cum 73. ex eo loco caperetur à Ludovico Ravensburgico, Osnaburgensi Episcopo, tandem liberatus, datis obfidibus, ea lege, *ut arcem illam plane dejiceret, & novum oppidum in Rhede everteret, &c.* Hæc clarius, quam Krantius, refert Ertwinus. Et opinor hinc factum esse, quod locum sibi jam exosum, dejecta arce, oppignorarent isti Comites vicinis Comitibus in Ravensberg/ &c. Nam adhuc est sub jure istius Comitatus, quanquam *veri sunt loci hujus heredes Comites Lippienses, &c.* Alii putant hoc ab Haholdo, alii credunt ab Henrico Leone ipsos hoc castrum habuisse; Ego nihil certi habeo.

Hætenus disputavi de duobus Ducatibus Westphaliæ & Angaria, jam quantum ad Episcopatus attinet, certum est *Minda Osnabur-* 74. *gæque, usque ad Bremensem urbem, ac undique circa Visurgum, Wedekindum dominatum esse, ac mihi quoque persuadeo, cum pater Wedekindi se scripserit Ducem Iburgi, vel Driburgi, quod ipsi & filiis paruerit Paderborna finitimique: Hi inquam loci & dominia, ut diximus, ad Episcoporum potestatem translata sunt. Quis vero in Mymyngrode/ (nunc Monasterio) ante Episcopatum constitutum, rerum potitus sit & scepra tenuerit, non invenio in annalibus: fuisse autem locum populosum ac celebrem ibi in Saxonix mediterraneis ante Episcopatum,*

testa-



testatur Krantius in Metropoli libro 1. cap. 5. Quare vel Wedekindus, vel alius Westphaliæ Dux, isti loco antea præfuit quoque.

75. Quod ad Comitatus attinet, diximus in initio, unde *Comites* fuerint? & plane credo, quod tales plerisque adduxerit secum in Westphaliæ Carolus magnus, quod nomina *Gallica* *Wirmont/ Halremont/ Fretmont/* indicare videntur, &c. quos rebelli populo præfecit, in qua etiam sententia est Krantius, libro 1. Metropoleos cap. 25. Fuerunt
76. etiam plerique nobiles, qui cum fidelem operam præstitissent Cæsari- bus, sunt vel terras vel titulum Comitum consecuti. Sic *Adolphus de Salingsleve* titulum Comitum, instante Mindensi Episcopo, meretur, & ab eo descendunt *Comites in Schowenberg/* cujus genealogiam libro 8. cap. 26. in Saxonia pulchre describit Krantius. Sic dicitur apud Krantium libro 5. cap. 15. *Hermannus de Calvele/* unde descenderunt *Comites de Ravensberg:* Ita *Comites Lippienses* (forfan originem ducentes ex Italia & sub exercitu Caroli perducti in Westphaliæ) impetrarunt à Cæsari- bus potestatem condendi urbem ad *Lippiam* flumen, quod urbi & ipsis
78. nomen dedit. De *Ducatu Montis* & de *Comitatu Marke* sic scribit *Munsterus* in *Cosmographia:* Henricus Auceps duos nobiles in Aula habuit, qui cum ei diu fideliter inserviissent, dono eis dedit ex singulari gratia regiones in Westphalia. Major natu *Adolphus* circa Comitatum *Arnsbergensem* castellum dictum *Bolseshoch/* ædificavit & aliquot oppida; alter vero, *Eberhardus* nomine, ædificavit arcem *Altenberg:* *Adolphus* mox in Comitem à prædicto Cæsare est confirmatus, & dictus *Comes de Altena.* Ex prædicti Eberhardi ditione & dominio Comitatum quoque fieri voluit, eique *Comitatus de Berga* nomen indidit, &c. Postea est ita *Comitatus de Berga* auctus, ut primo exaltaretur in *Margraviatum* à *Carolo V.* deinde in *Ducatum* à *Wentzeslao* Cæsare, & incipit hic ducatus circa *Wesaliæ* & ad ripam *Rheni* late extenditur.
79. Sunt qui putant *Comites de Altena* postea dictos *Comites de Marka.* sed ascribam *Gobelini* verba: Eo tempore (sub *Frederico primo*, dicto *Barbarossa*) *Fredericus, Comes de Altena* quartus, genuit *Adolphum,* qui fuit quintus *Comes de Altena,* & primus *Comes de Marka,* &c. An fuerit proprius *Comitatus de Marka,* & quidem diversus de *Comitatu de Altena,* affirmare non possum, quia extat adhuc *Altena* oppidum, & ego facile crediderim fuisse duos *Comitatus,* propter amplitudinem regionis istius & multitudinem celebrium urbium, quæ ad *Comitatum Marka* hodie referuntur; tamen cum nihil certi habeo de hac re, omnia in medio relinquo &c.



Sæpe mutantur tituli. Nam apud Krantium bellicosus istius *Frede-* 80.  
*rici Comitis Arnsbergici*, qui se etiam *Westphalia Comitem* scripsit, testi-  
bus Krantio, Gobelino & Chronico Colonienfi, pater dicitur *Godfridus*  
*de Arne*, &c. libro 5. cap. 15.

Nunc ordine recensebo de Comitatus & dominiis, quicquid a- 81.  
pud *Wernerum Rolevingium* invenero de his, atque deinde, quod in ipso  
desiderari videamus, supplebimus.

*Comitatus*, inquit ille, & domus illustres habet *Westphalia plurimas*, de  
*Benthem* / de *Tecklenburg* / de *Marka*, de *Baltegge* / de *Speigelberg* / de  
*Dinrtlafen* / de *Oldenburg* / de *Deipholt* / de *Ravensburg* / de *Limburg* / de  
*Arnsburg* / de *Retburg* / de *Lippia*, de *Duren* / de *Recklinghusen* / de *Luz*  
*dinchhusen* / de *Stenwordia*, de *Horstmaria*, de *Borchlo* / de *Brunchhorst* /  
de *Gemme* / de *Cappenberg* / &c. aliosque nobilium, Baronum ac Domi-  
cellorum castra & pagos: Hæc *Rolevingius ante annos 80.* scripsit de  
antiquæ Saxonie Dominiis, in libro de laude Saxonie veteris, hoc est,  
*Westphaliae*. Sed discutiamus jam dictos Comitatus, & videamus qui  
& quales sint, atque deinde addamus, quod forte addi debuit & adhuc  
deest.

*Benthem* & *Tecklenburg* Comitatus adhuc per se existunt, quan- 82.  
quam *Tecklenburgicus Comitatus* pervenerit ad *Comites de Benthem*, per  
*nuptias filiae Conradi de Tecklenburg* / ultimi de veteri ista stirpe hærede:  
verum *Comitatus Tecklenburgicus* fuit olim amplissimus, sed per Mona-  
sterienses Episcopos sunt ei aliquot præfecturæ ac arces abstractæ &  
ademptæ, de quibus mox referemus. Majores nostri etiam retulerunt,  
quomodo multum juris in urbem Monasteriensem habuerit, in qua  
semper ei patuerat olim porta, qua ipsi Comiti erat propria: Habuisse quo-  
que illum aliquid juris in *Osnaburgensem urbem* ex relatione senio-  
rum percepimus. Fuit hic Comitatus antiquissimus, & opinor ex vete-  
rum Saxonum profapia oriundus & prolatus. Nam fuit etiamnum tem-  
pore *Ludovici pii*, qui erat filius *Caroli magni*, Comes *Tecklenburgicus* *Cob-*  
*bo* nomine, ut in historia & Chronico *Ertwini Ertmanni*, Consulis *Of-*  
*naburgensis*, & in *Metropoli Krantii* libro 1. cap. 40. legitur.

Scribit idem *Ertwinus* in *Chronico Osnaburgensium*, quod quidam Co- 83.  
mes *Teckleburgicus* permiserit *Ludolpho de Dize* / nobili, ut suum, hoc  
est *Comitis feudum*, nempe *castrum Dize* / in *Cænobium* mutaret &  
transferret, eum omnibus redditibus & toto pago. Quod cum factum  
esset, ipse Comes adjecit & contulit bona & præfecturam vicinæ suæ



arcis Bordeborg novo isti cœnobio, hinc adhuc extant istius arcis vestigia prope cœnobium.

84. Habuit etiam in diœcesi Osnaburgensi prope Quackenbruggen oppidum & arcem Arckenow & oppidum Essen idem Comes, que invalit Episcopus Osnaburgensis, frater Comitis, nomine Engelbertus, & funditus evertit, & postea ex oppidulo Essen est pagus factus, adhuc parens Osnaburgensibus, si recte memini.

85. Castra & arces habuit multas hic Comes, ut Dineklage / quod castrum ei ademit & evertit Episcopus Monasteriensis, Florentius de Beverlinckhove. Habebat etiam sub suo imperio Comes olim arces Kloppenberg / Bevergern / Dyte / Snappen / & Phrisios quosdam dictos Zoegelster freisen / & Halsiecke / arcem prope pagum Versmel / ad viciniam Comitatus Ravensburgici, quam quoque ei ademit prædictus Episcopus Monasteriensis, & evertit.

Reliquas arces Comiti Tecklenburgico ademit & ad suum dominium transtulit Otto, Comes de Hoya / Episcopus Monasteriensis, ut Bevergern / Dyte & alias: Kloppenberg arcem simili concursu aggressi sunt Otto Monasteriensis & Theodoricus Episcopi, atque simili jure expugnatam aliquandiu possederunt; tandem cum non nihil juris haberent Monasterienses prope Borden / arcem & oppidum ditionis Osnaburgensis, est facta inter Monasterienses & Osnaburgenses permutatio, ut Osnaburgenses cederent juri suo, & sic soli Monasterienses occuparent arcem Kloppenberg. Et hic accedit Osnaburgensibus, quod in proverbio dici solet: *In der Bühte wird gemeiniglich einer betrogen.*

86. Hæc de Comitatu Tecklenburgico. De Markico Comitatu diximus, & certum est illum amplissimum esse, qui multis annis etiam majorum seculo fuit Ducatui Clivensi adjunctus, & nunc iste Ducatus & Comitatus ante annos 60. pervenit ad Juliacenses Duces, qui etiam sunt Duces Bergensis Ducatus & Ravensburgici Comitatus: atque ista dominia ita pedetentim per nuptias conjuncta sunt; & visa est in his mutatio semper, ut nihil in hoc seculo diuturnum est.

87. Waldechiannus Comitatus est amplissimus, vel etiam Ducatui similis, & sunt quatuor hodie Comites, qui diviserunt Comitatum istum, & inde se honeste sustentant.

88. Spiegelburgici Comites nihil hic habuerunt dominii in Westphalia ab hac parte Visurgi, nisi quod arcem & Comitatum Pirmontanum consecuti sunt, mortuo ultimo Comite ibidem, cujus ultimus nunc Heros,

Philip-



*Philippus*, sine hæredibus mortuus est, & per nuptias istius fororis *Ulrichi*, est factus possessor utriusque Comitatus *Hermannus Simon*, de *Lippia Comes*.

Circumspicienti mihi, ubinam esset vel fuisset *Comitatus Dinxlæ* 89. *fen?* & existimanti in initio, per hunc denotari *Dinxlage arcem* olim veterem; tandem occurrit urbs in *Ducatu Bergensi*, nomine *Dinxlæfen* non procul à *Duisberg* & *Wesalia*, inter quas urbes est quasi media. Si hic fuit *Comitatus* ille, de quo *Rolevingius* refert, ergo & iste *Comitatus* jam est inescatus & incorporatus *Ducatu* isti *Bergensi*, & titulus evanuit. Ut ita cognoscamus, nihil esse stabile.

*Oldenburg* *Comitatus* est adhuc *florentissimus & celebris*, quem, ut 90. scribit *Krantius* in *Saxonia* libro 5. cap. 2. olim vocarunt, inferioris *Saxonie* *Comitatum*, aut *Comitatum Phrisiæ*, ut est *Phrisis* vicinus.

*Comitatus Deipholdicus* adhuc habet proprium *Dominum*, & 91. *Dominium Borckloe* dicitur ei parere, mortuo ultimo hære de *ibidem Comite Brunckhorstiano*; & quanquam istius *Comitatus de Brunckhorst* dicatur etiam hæres esse, tamen nunc alium quendam *ibi arcem & Comitatum Brunckhorstianum* occupare & possidere ajunt.

*Limburg* *Comitatus* in *vicinia Marekici* *Comitatus* celebris est, 92. & *arx Limburg* sita est in *vicinia oppidi Zserloe*: Sunt autem hodie alii *Domini de Limburg* in *superiori Germania*, qui sunt *Vice-Pincernæ Imperii*.

*Arnsburgicum* fuisse *Comitatum amplissimum* ex præcedentibus apparet: quomodo autem pervenerit ad *Colonienses Episcopos*, diversa est scriptorum sententia. *Krantius* scribit in *Metropoli* libro 6. capite 46. quod cum multis de causis *Henricum Comitem* *ibidem* obsedissent *Episc. Coloniensis, Paderbornensis & Monasteriensis*, atque *Henricus Dux Saxonie* (qui fuit *Leo*) *ejectusque Comes tandem sit castro*; verum ita receptus in gratiam, ut post obitum suum consignaret *Ecclesie sua Comitatum*, atque hinc putat esse *Krantius*, quod *Colonienses* totam illam *ditionem antiquæ istius nobilitatis tenerent*. Et potest fieri ut hoc ita sit, & ut ab eo tempore magis quoque inhiaverint tanquam prædæ *Henrici Leonis* possessionibus, quæ in *vicinia* erant. Sed *Chronicon Coloniense* refert *ultimum Comitem Godfridum*, cum *Comitissa sua, nata ex Clivensibus Heroibus*, postquam careret hæredibus, resignasse totum *Comitatum Westphaliae & de Arnsberg Episcopo Coloniensi, Frederico de Sarwerden* qui jam *Ducatum Westphaliae & Angariae* in possessione habebat: Re-



fertur interim ibidem, quod alii censuerint Comitem ab Episcopo captum fuisse, & ita coactum, ut istam resignationem fecerit.

94. Retberge Comitatus ad viciniam Comitum de Lippia & ditionis Osnaburgensis, Paderbornensis & Ravensburgici Comitatus situs, haecenus Dominos & Haeredes habuit, verum postremus nomine *Joannes est per Procures provinciae Westphalicae justis de causis turbatus arce Reiborg / & tandem in custodia Coloniae mortuus, ajuntque Landgravium Hassiae totum Comitatum, tanquam suum feudum, ad se repetere.*
95. *Lippia Comitatus amplius habet adhuc ex ipsa linea antiqua istius generis Dominos & rectores, de qua re alias.*
96. De Biren sunt *Barones*, habitantes in oppido Biren, sub dominio Paderbornensis Episcopi.
97. *Recklinckhusen urbs hodie paret Coloniensibus Principibus, quam in ea aliquid juris habeant Comites de Schowenberg / nomine Domini Gemme, vel quod istius etiam Comitatus Recklinckhusensis (de quo nihil compertum habeo) partem sibi vendicent.*
98. De Ludinckhusen nihil invenio qualis fuerit Comitatus, qualeve dominium? tantum hoc scio amplissimum esse pagum in ditione *Monasteriensi* ejus nominis, & videtur mihi verisimile ibi aliquod dominium fuisse olim.
99. Fuit olim proprius *Comitatus Stenvordiensis* in ditione *Monasteriensi*, qui nunc Benthensibus Comitibus paret; *Dominium Gemme* dotis loco (sic audio) aliquando consecuti sunt *Comites in Schowenberg / est que dominium istud situm prope urbem Cosveldiam & Borcken oppida.*
100. *Comitatus Horstmaria* est situs in ditione *Monasteriensi*, & quomodo pervenerit iste Comitatus ad Episcopos *Monasterienses*, nulli mihi invenio scriptum, nisi quod *Wernerus Rolevins* dicat ultimum Comitem *Horstmariensem* fuisse tam pium & bonum, dass ihn haben Heiden und Kasten (haec sunt ejus verba) leyden konden. Hoc dicit se a parentibus accepisse. Potest igitur fieri, ut pietatis ergo concesserit suum
101. *Comitatum Ecclesia Monasteriensi.* Fuerunt aliquando *Comites de Cappenberg / & scribit Krantius in Saxonia de Ottone, Comite Cappenburgico, libro 5. capite 15. sed a quodam ibidem Comite sub Wernero 21. Episcopo Monasteriensi est iste Comitatus in Monasterium Ordinis Praemonstratensium, teste Krantio in Metropoli libro 6. cap. 45. mutatus & versus, & usus obtinuit, ut nulli admittantur ad istud caenobium, nisi nobiles. Haecenus ex Rolevingio recensui & demonstravi antiquos Comitatus*



mitatus Westphaliæ, jam etiam addemus plures Comitatus, Dominia- 102.  
que, de quibus *Rolevingius Monachus* ut nihil habet, ita forsitan ista igno-  
ravit, & sunt illa: *Comitatus de Warburg/ Burgraviatus de Stromberg/*  
*Comitatus de Iffenberg/ Comitatus de Hervorde/ Comitatus de Dortmunde/*  
*Comitatus de Schwallenberge/ Comitatus de Dechte/ Comitatus de Berle/*  
*Comitatus de Holte/ Comitatus de Loyn/ Comitatus de Jtter/ Comitatus de*  
*Bilstein/ Comitatus de Stoppelberg/ Comitatus Haholdi Comitis: Item*  
*Dominia de Blanckenberg/ de Ahues/ de Dissen/ de Meinhowese/ Dominium*  
*Comitum in Solmes/ de Ottenstein in ditione Monasteriensi, de Dist/ de*  
*Blate/ &c.* Atque hi Comitatus & dominia etsi fuerint in Westphalia, 103.  
jam tamen evanuerunt. Sunt adhuc plerique alii Comitatus & domi-  
nia cum suis titulis existentia in Westphalia, quorum tamen non me-  
minit *Rolevingius*, ut *Principatus Abbatis Corbiensis, Comitatus de Del-*  
*menhorst/ Comitatus de Sterneberg/ Comitatus de Pyrmund; Item dominia*  
*de Lingen/ Rehde/ de Bevelinckhave/ &c.*

Sunt rursus alii Principatus & Ducatus atque Comitatus extra 104.  
Westphalam, qui tamen aliquem locum & partem dominiorum in  
Westphalia habent, ut *Dux Clivia, Dux Geldria cum Comitatu Sutha-*  
*nienfi, Duces Brunsvicensis nomine Comitatus de Everstein/ Comes de Hoyer/*  
*Comes de Schorwenberg/ Comes de Rulenberg.*

Sunt etiam dominia quædam nobilium per Westphalam sita, ut 105.  
Dominorum de *Hardenberg/ nobilium de Loe/ dominorum in Geist/ item*  
*Hasfeldensium nobilium*, nomine domini de *Wyllenborg/ & puto esse*  
*Dominos de Westerholte/ item Ketleri nobiles in Assse/ sibi dominium dicun-*  
*tur vindicare. Et in veterum annalibus legimus aliquoties de Comitibus* 106.  
*in Assse/ jam sunt, qui conjecturam faciunt, istum Comitatum esse*  
*nunc possessionem illam Ketlerorum in Assse/ verum tamen illi nobiles*  
*sint tam potentes, ut etiam opibus aliquot Comites superent, tamen*  
*puto istum Comitatum in Saxonia fuisse: Sed nihil de eo certi habeo.*

Sed investigemus istos Comitatus nunc quoque, & de eis quid cer-  
ti habeamus, exploremus.

*Comitatum de Warburg/ mortuo ultimo Hærede Dedicone Comite,* 107.  
*Meinwercus, Episcopus Paderbornensis* 10. ab *Imperatore Henrico 2.* con-  
secutus est, tamen adhuc vivus *Dedicon*, cum careret hæredibus ve-  
ris, valde laboraret pro filio notho sibi substituendo. Hæc ita refert  
*Gobelinus* in *Cosmodromio*, verum coactus *Episcopus* à propinquis  
Comitis, magna auri summa illos, qui ipsi molestiam nomine Comita-  
tus faciebant, placavit.



108. *Burggraviatus Sverobergicus* fuit olim cum reliquis Burggraviis Imperii celebris, & adhuc dicitur quartus esse Burggravorum in Imperio. Officium *Burggravorum* quid sit & fuerit, ignoro, & quantum differant Burggravi à Comitibus mihi quoque non satis constat: de quare etiam disputat Krantius lib. 6. Metropolis cap. 22. *Ultimus* autem *Burggravius* à Casare Carolo 4. proscriptus, & per Florentium à Bevelinckhave/ *Episcopum Monasteriensem*, auxilio Episcopi Osnaburgensis, Theodorici de Hörnen / profugatus est nomine *Burchardus*, cujus filia post patrem diu vixit Abbatisa in *Harssebroick*, sicque tandem venit in possessionem istius Burggraviatus Episcopus & Ecclesia Monasteriensis, atque pertinuit ad istum Burggraviatum *arx Crassenstein* / (cujus possessores hodie nobiles de *Wenden* sunt) Hæc ex Chronico Ertwini Ertmans/ Consulis Osnaburgensis, descripti.
109. Fuerunt Comites de *Isenberg* in *Westphalia*, quorum arx vel potius vestigia arcis circa oppidum *Hattingen* extant. Sic autem de ultimo ejus Gomite Frederico, apud Ertwinum, & in Chronico Colonienfi, atque in Metropoli Krantii libro 7. capite 43. legitur: Fredericus, Comes de *Isenberg* / frater Episcopi Monasteriensis Theodorici, & Episcopi Osnaburgensis Brunonis, qui erant ibidem Comites, ut scribit Krantius, premebat Assendiensem Ecclesiam, admonitus igitur & etiam prohibitus est ab *Engelberto*, ex Comitibus de *Berga*, Episcopo Colonienfi, autoritate literarum Apostolicarum, & jure ordinarii, sed admonitiones istas sprevit, & pedetentim, crescente contumacia, censuris Ecclesiasticis pressus Comes, cepit insidias struere Episcopo, eumq; tendentem ad consecrationem Ecclesie *Pagi Swelm* adortus est, & inflictiis 28. vulneribus occidit Episcopum: Sed mortem antecessoris ita *Henricus, Colonienfis Episcopus*, ultus est autoritate Imperatoris, ut cogere illum Comitem arcem *Isenberg* dejicere, atque se captivum illi tradere, qui postea Colonia rotatus est, & sic nobile cadaver, ut inquit Krantius, corvos pavit. Et quod scribitur in Chronico Colonienfi, est arx *Isenburgica* plane destructa, & ab eo tempore nunquam recuperata. Sed *Gobelinus* vocat hunc Fredericum Comitem de *Altena*; verum apud Krantium & alios dicuntur Comites isti de *Isenberg*. Ertwinus etiam Episcopum 30. Osnaburgensem Brunonem vocat Comitem de *Isenberg* / &c.
110. Sunt hodie Comites de *Bubingen* / in vicinia Comitatus *Königstein* / ultra *Mœnum*, prope *Francofortium* urbem Imperialem, nomine



*Reinerus, Philippus, Ludovicus*, qui hunc sibi vendicant titulum. N. de *Ifenburg* / Comites in *Büdingen* / &c. an sint isti ex ea *Ifenburgensium* Comitum familia ad huc reliquæ, plane ignoro.

De Comitatu *Hervordensi* hoc invenio in Chronico *Mindensium*, III. quod *Wolderus* ultimus ibidem Comes, tempore *Caroli Magni*, victoris Saxonum, eoque permittente & de consensu *Wedekindi* facti Christiani, fervore novi Christianismi motus, ex suo Comitatu constituerit *Monasterium monialium Generosarum & nobilium virginum*. Putoque II2. non aliter reliquas illas *Abbatias generosarum Nobilium in Borchhorst / Freckenhorst / Nottelen & Mettelen* / constitutas; sed quia de istis nihil certi habeo, omnia in medio relinquo: De *Abbatissa urbis Assendiensis* lege apud *Krantium* libro 7. capite 43. Metropolis, quod regalis sit ejus Ecclesia.

Video in Chronico *Ertwini Ertmanni*, fuisse olim *Comites de Dortmund*, III. quorum comitatum ad se *urbs Tremoniensis* gratia Imperatorum transtulit. Extat adhuc *istius Comitis curia in urbe illa*. Nihil autem de isto Comite invenio, nisi quod librum scriptum in quodam cœnobio *Tremonienfi* de Comitum *Tremoniensium* ac vicinorum, ut de *Marka & Bergensium Ducum &c.* gestis ac actis viderint amici quidam, quem inde commodatum accepit, ut audio, vir ornatissimus & doctus *Jureconsultus Gerhardus Kleinsorgius*, LL. Licentiatus disertus, & *Officialis Werlensis*, qui ex hac urbe *Lemgoviensi originem duxit*, & dicitur aliquid meditari de *Westphalia*, habetq; ad hoc opus perficiendum aliqua antiqua monumenta. Itaque rogarem illum, ut sua tandem protruderet, meaque corrigeret. Idem ajunt per multos annos egisse *M. Hermannum Kersebrochium*, gubernatorem *Scholæ Monasteriensis*, literis & gravitate præstantem, quem etiam rogamus, ut sua Patriæ nostræ communicet, nostraque ad limam vocet, quia negligenter & tumultuante nostra collecta sunt, sine observatione dictionis & verborum.

De Comitibus in *Schwalenberg* / plurima leguntur in *Saxonia* & II4. *Metropoli D. Krantii*, atque fuit aliquando Comes *Schwalenbergiensis* advocatus *Paderbornensis Ecclesiæ*, ut *Gobelinus* scribit. Quomodo autē clarissimus Comitatus pervenerit ad *Paderbornenses Episcopos*, & *Lippienses Comites*, quia ex scriptis nihil certi habeo, nihil referam, nec dignabor rumores varios referre. Titulus Comitatus perit, insignia *Lippienses Domini* retinent, *Arcom Primariam Schwalenberg Paderbornenses*



115. *nenses & Lippienses simul.* Comitatus de *Behta* pervenit ad Monasterienses, sub *Ottone de Lippia* Episcopo ibidem; ut scribit *Krantius* in *Metropoli* libro 8. capite 31. Majores nostri retulerunt, fuisse ejus Comitatus unicam filiam hæredem, quæ cum decrevisset zelo religionis caelebs manere, fuit tamen sollicitata à Comite vicino, qui eam petebat conjugem, & cum videret illam abhorrere à conjugio, volebat eandem vi cogere & bellum ei intulit; Itaque opem virgo nobilis ab *Osnaburgensibus* petiit, verum cum illi nollent cum vicinis contendere, convertit se ad *Monasterienses*, qui ea lege opem tulerunt, ut post ipsius *Dominæ* mortem cederet Comitatus Episcopatu *Monasteriensi*: Dixerat enim jocans sic: *wil Peter nicht / Paul wird gern.* Petrus enim dicebatur Patronus *Osnaburgensis*, Paulus autem *Monasteriensis* Ecclesiæ, &c. Sed hæc ex communi relatione majorum.
116. De Comitatu *Werlensi* nihil lego, nisi quod de *Henrico Comite de Werle* referat *Cosmodromium Gobellini*: Hinc quidam colligunt urbem *Werlensem* ditionis *Coloniensis* habuisse olim Comitem. Et quanquam *Krantius* de Principibus, quos interdum Comites vocat, de *Werle* / qui ad viciniam *Daniæ* habitaverunt olim, referat; tamen sunt qui etiam & talem Comitem *Westphaliæ* faciant.
117. Ita quoque putant nonnulli fuisse Comitem de *Brakel* in ditione *Paderbornensi*: sed de quibus nihil certi habemus, merito ibi sistimus gradu.
118. Ex Comitibus de *Holste* / quos *Krantius* *Barones* vocavit, fuit Episcopus *Coloniensis* *Wigholdus* 53. vir doctus, ut in *Coloniensibus Chronicis*, legitur & Episcopus *Monasteriensis* *Ludolphus*, ordine 28. teste *Krantio* libro 8. cap. 14. in *Metropoli*, cui rursus ordine successit ex eadem familia, uno tantum intercedente *Othone de Lippia*, *Wilhelmus* in Episcopatu, teste eodem in libro 8. capite 45. *Metropoleos*. Quomodo *Barones de Holste* (qui dicuntur habuisse propriam portam in *Neapoli Osnaburgensi*, quæ nunc est ob signata muro) ad militem ab *Osnaburga* munitissimam arcem habuerint, cui se fidebant, eamque ob istorum Nobilium insolentiam, arcem eis exemerint *Osnaburgenses* cum *Philippo*, Comite *Caßenellenbogen* / Episcopo 25. Ecclesiæ *Osnaburgensis* (quia illam per annos 7. cinxerant obsidione, & tandem abdicaverunt, ut æquiores essent in reliquum paci servandæ) testatur *Krantius* libro 6. capite 34. quod clarius explicat *Ertwinus Ertman* in suo *Chronico*, & ait hæc facta esse anno 1144. *Parochia Holste* adhuc



huc in vicinia est arcis, cujus vestigia hodie ibidem in monte extant, & nihil est ex illo Comitatu reliquum: omniaque, quæ illis propria fuerunt, cesserunt Osnaburgensibus Episcopis, ut ego puto.

De Comitatu Loen nihil habeo certi, nisi quod Errwinus in Chronico Osnaburgensi dicat Lodovicum de Ravensberg, Episcopum Osnaburgensem, habuisse multos Comites sibi hostes, inter quos recenset Comitem de Loen / & Tremonia Comitem ac de Ahus / &c. & in Colonienfi Chronico dicitur de Comitatu Loen in historia Theodori Valkenburgici, Episcopi Colonienfis, &c. Jam olim fuit & adhuc puto esse pagum nomine Loen prope ditionem Coloniensem, non procul ab urbe Soist; & ad Vechtam oppidum est quoque ejusdem nominis pagus, sed est simul ad viciniam Geldriæ situm oppidum dictum (ad differentiam pagorum) Stadt Loen, unde Bernhardus Rotmannus natus erat; ibi istum fuisse Comitatum puto; Paret autem oppidum istud Monasteriensibus, & quia de eo nihil amplius habeo, nihil certi refero.

De Comitatu in Ztter hoc habeo, quod aliquando ex ista familia fuerit Episcopus Paderbornensis Theodoricus, qui, etsi esset quoque Guntherus Comes de Schwalenburg electus, obtinuit tamen Episcopatum per annos 12. Litigaverat de isto Comitatu aliquandiu cum nobilibus de Wilsben / Landgravius Princeps Hassia, ut audio; sed jam jure obtinuit sibi Comitatum, qui est in vicinia urbis Corbachienfis situs.

De Wilsstein lego in Chronico Colonienfi, in historia Theodorici de Morla, ubi scribitur, Wilsstein Comitatum fuisse. Et in Chronico urbis Lippia de Susatenfis urbis obsidione sic legitur.

Der Graffe von Nassaw: Philips genant / der moeste alsdar unterliggen zu handt / darnegest ein Sohne von Wilsstein konte den Vianden nicht entfliehen / &c.

Mortuo igitur isto forsan hærede, est ita Colonienfis Præsul consecutus Comitatum, concedente tunc hoc Duce Clivia, qui etiam erat Comes in Marka.

Comitatus fuit in Stoppelberg / & arx ejus domini fuit ad rivum de Emmer / non longe ab oppido Stenem / in vicinia arcis de Aldenberg (quæ Paderbornensibus Episcopis & Lippiensibus Comitibus æquo jure subjecta est) sita, cujus dicuntur in colliculo extare vestigia, & putant hunc Comitatum denotari quidam, quando in historiis legitur de Supplenberg Comitatu: Puto nunc partem istius domini Paderbornenses, partem Lippienses occupare.

H

Fuit



123. Fuit etiam quidam *Comitatus Habolti* cuiusdam Comitis, qui, intercedente Episcopo Paderbornensi, post mortem istius Habolti pervenit ad *Comites de Lippia sub Henrico III.* sed in annalibus non additur, quod nomen fuerit ei inditum Comitatu, cui tunc paruit Lemgo/ Lage/ Ditmold/ Sultbeck &c. quia istorum locorum fit mentio in Archivis procerum.
- Nunc etiam pertexamus, quid de prædictis Dominiis certi habeamus.
124. *De Dominio de Blanckenborg* hoc lego in Chronico Colonienſi, quod Theodoricus de Morſa Episcopus egerat cum Gerhardo Juliano & Bergensi Duce, data illi certa Pecuniæ summa, ut ipsum constitueret hæredem Ducatus Bergensis, si moreretur sine hæredibus. Ubi vero consequeretur hæredes, ut tunc in posterum obtineret Præſul *dominium in Blanckenborg/ &c.* Itaque puto istud esse quoque Westphalicum dominium. Fuerunt etiam Comites de Blanckenborg in Saxonia, ad Harciniam, quorum fit mentio apud Krantium, & hodie Comites de *genstein* scribunt se Dominos in Blanckenborg. De *Baronatu & dominio in Uhus* nihil certi habeo, nisi quod Dominorum in Uhus aliquoties fiat mentio in annalibus: Legitur in Gobelini Cosmodromio, quomodo Episcopus Monasteriensis per Comites de Tecklenborg & de Lippia, *castella Uhusen & Dyepena* destruxerit ad injuriam *Joannis de Uhusen/ &c.* Et Krantius in metropoli libro 8. capite 52. scribit, quomodo facti Osnaburgensibus pro Simone Comite Lippiaco obsides sint Comites de Tecklenborg/ Benthem & Swallenberg: item *Baldwinus de Stenworde & Otto de Uhus Barones, &c.* Ertwinus exprimit Comitum etiam nomina, indicans hos fuisse Ottonem Tecklenburg Joannem Benthemsem & Albertum de Swallenberg/ &c. Comites, hocque dicit factum anno 1209. in die Kiliani. Quomodo Dominium Uhus pervenerit ad Monasteriensis ignoro, nec invenio scriptum. *Barones de Dissen* fuerunt: Nam *Wibboldus de Dissen* pugnavit cum Ottone Comite Tecklenburgico, contra ipsius fratrem Engelwertum, Episcopum Osnaburgensem, & mortuus est vel occidit in pugna *Wibboldus*, ideoque invasit & evertit arcem Dissen Episcopus, atque adjecit pagum *Dissen/ Loder vel Lact/ Hilter/ Glanen/ Ecclesiæ, &c.* Hæc refert Ertwinus. Hodie est prope Dissen situm dominium de *Palsterkampe* / cuius olim erant possessores nobiles *de Nesselrat/ deinde Comites de Kennenberg.*
127. *Domini de Meinhovele* sunt extirpati per Episcopum Monasteriensis, *Ludolphum de Holte/ & ex ipsorum castro arx in Woldbecke* est



extructa, in vicinia urbis Monasteriensis, &c. teste Krantio libro 8. capite 14.

Comites in Solms fuerunt etiam Domini in Ottenstein/ quod do-<sup>128.</sup>  
minium fuit situm in ditione Monasteriensi, & hos ejecit Otto Hoyen-  
sis Comes, Episcopus Monasteriensis & Osnaburgensis, & destruxit  
arcem Ottenstein/ & quanquam Clivensis Dux, Rupertus, Dux Ba-  
variae, Landgravius Hassiae & Comes Morsensis & alii Comites juva-  
rent Henricum Solmensem, tamen superior evasit Episcopus, destructa  
arce anno 1407. Henricus vero favore multorum Principum instituit  
rursus actionem contra Episcopum coram Sigismundo Caesare, ut re-  
cuperaret arcem ac dominium in Ottenstein/ verum frustra pro recupe-  
ratione arcis institit, hoc interim impetravit, ut praedia, pagos ac  
bona, quae isti dominio erant propria, reciperet, illaque tunc dice-  
bantur, *Die Solmschen Güter.* Itaque illa bona dedit in dotem Nobili  
*Domino de Guteröwick/ Comiti de Bentheim & Steuvordia, ei elocata filia,*  
atque haec acta sunt 1425. Haec ita ad verbum Ertwinus refert, & de  
hac ejectione scribit etiam Krantius in Saxonia libro 10. cap. 25.

De dominio in Diss sic lego in Coloniensi Chronico, quod Do-<sup>129.</sup>  
minus Arnoldus de Diss/ qui habitabat in Rattingen/ hostis fuerit Co-  
loniensibus, & tandem, facta compositione, ipsum locum tenen-  
tem Comitatus Arnsburgici fecerit Coloniensis Praesul.

Fuit olim proprium dominium in Blate/ quod an primo propri-<sup>130.</sup>  
um habuerit dominum ignoro; paruisse autem *Waldechanis* Comiti-  
bus asserunt majores, & ab his venditum Duci Juliacensi & Bergensi,  
qui Comes est Ravensburgicus, &c.

Haecenus de Comitibus & dominiis, quorum tituli evanuerunt.  
Jam adhuc quidam Comitatus extant, quorum tamen Rolevingus  
non meminit, ut *Principatus Corbiensis Abbatis*, erectus & fundatus ab<sup>131.</sup>  
ipso Ludovico pio & magnis donatus bonis: Item *Delmenhorst* est Co-<sup>132.</sup>  
mitatus in vicinia urbis Bremensis, quem, cum Gerhardus Comes  
non faceret finem rapinarum, *Henricus de Swargberg/* Episcopus  
Monasteriensis & administrator Ecclesiae Bremensis, invasit arce su-  
perata, interim in obsidione fratrem Guntherum amisit, teste Krantio  
libro 12. cap. 11. & 12. Metropolis, & sic adjecit istum Comitatum di-  
tioni Monasteriensi Episcopus ille; & quanquam Oldenburgici Co-  
mites ab illo tempore saepe Monasteriensibus damnum darent, tamen



- diu recuperare non potuerunt, verum per insidias recuperavit arcem Antonius, de Oldenburg Comes, ante annos tredecim, cum ibi Satrapam ageret *Hermannus ab Der nobilis*, sub Episcopo Francisco Waldechiano, & adhuc obtinet Comitatum. *Dominium de Lingen* jam ab antiquo possederunt *Comites de Tecklenburg*/ quod tanquam feudum ob violatum juramentum, ut dicebant, repetebant Burgundii, & eo donatus est *Maximilianus Comes de Buren*/ qui facta permutatione, quædam recepit deminia in Brabantia, concessa Burgundis arce & dominio in Lingen/ qui ibi quasi præsidium habent. Sed audio juniorem Comitem de Tecklenburg/ *Arnoldum*, nepotem ultimi hæredis *Conradi*, qui eo privabatur, titulum & dominium consecutum esse à Cæsare, verum à Burgundis restitutio nondum est facta, quod ego sciam.
134. Comitatus *Sternebergicus*, mortuo ultimo hærede *Henrico*, est factus præda vicinis Comitibus de *Schorwenberg* & de *Lippia*, tandem per nuptias est quædam compositio, ut ajunt, facta, ut hodie usum fructum & bona istius Comitatus Lippienses, titulum vero Comites *Schorwenburgenses* retineant, & fuit olim illius Comitatus primaria urbs mediocriter celebris *Bosinckvelde*/ quæ nunc est pago similior quam urbi, ubi hodie pius vir, meus affinis & compater *Henricus Veltinius*, pastorem agit.
135. De *Birmund* diximus: De *Rhedam* hoc legimus, quod *Gobelinus* de quodam Domino *Witkindo* Domino in *Rhede* scribat, quomodo autem pervenerit is Dominatus ad Lippienses (forsan per nuptias) non invenio: nam cum *Osnaburgenses* vincum tenerent Comitem de *Lippia* *Simonem*, erat ille quoque tunc possessor arcis & domini in *Rhede* teste *Erwino*, qui etiam scribit per nuptias filia Comitis de *Lippia* pervenisse ad *Tecklenburgensium* Comitem manus *Rhedam*, quanquam alii aliter referant. Fuisse proprios dominos in *Wevelinckhaven* inde notum est, quod *Florentius de Wevelinckhave* / *Episcopus Monasteriensis* & dein *de Trajectensis*, originem inde habuerit. Quomodo autem istud dominium pervenerit ad *Benthenses* Comites, ignoro: Sine dubio per nuptias hoc consecuti sunt. Nunc expendamus, qui extra *Westphalia* positi, tamen in ea aliquid juris habeant. *Dux Clivia* ab hac parte *Rheni* in *Westphalia* habet sibi subjectas urbes *Wesalium*, *Embriacam*, *Resium*: *Dux Geldria* civitates & oppida *Surphanium*, *Doesbor-*
138. *gum*, *Lockchum*, *Dottinckhem* / *Sevener* / *Brevort* / *Grolle* / &c. atque



atque *Abbatiam de Elte* / quæ est, teste Gobelino, ex *Comitatu Hedichen* fundata.

*Comitatus ab Everstein* habet in Westphalia arces & præfecturas 139. in vicinia *Visurgi Ottenstein & Urken* / egitque aliquando *Joannes Hoyensis*, Episcopus Paderbornicus, cum *Hermanno Everstenio*, ut suum ei Comitatum traderet, si absque hæredibus finiret vitam, itaque assignavit ad vitam ei *castrum cum præfectura in Dringenberg*: verum res aliter cessit, & contigit hæres filius Comiti, & ita contractus fit irritus circa annum 1402. &c. teste Gobelino: *arx Everstein est sita prope Monasterium Amelsborn in Ducatu Brunsvicensi*: & dictum est ex *Krantii Saxonia* in initio, quomodo hic Comitatus pervenerit ad *Brunsvicenses Duces sub Wilhelmo bellicoso*, verum non addit, quo jure impetraverint istum Comitatum: videat lector librum 12. *Krantii* capite 31. Sunt hodie *Comites de Oberstein*, quos credidissimè ex ista fuisse familia, nisi illi titulum *Oberstein* sibi vendicarent, qui paululum diversus ab *Everstein*.

Habet *Comes de Schowenberg* ab hac parte *Visurgi* oppidum *Rinthehlen* cum aliis, & circa *amoenissimum cœnobium in Mollenbecke* aliquid *dominii*.

Fuit sine dubio Dominus vel insignis capitaneus *Ufo Wolfrath* / in cujus absentia istis temporibus potuit uxor illius *Hilteberga* multas ædificare parochias, & simul cœnobium *Mollenbecke* / cui nunc præ est pius & doctus pater, *Hermannus Wenningius*, qui mihi aliquot annales ad hoc opus perficiendum usui dedit.

*Comes de Hoyer* in vicinia *Mindensis Episcopatus & Deipholtiensis* 141. Comitatus ab hac parte *Visurgi* aliquot arces & præfecturas habet.

*Dominus in Eulenberg* habet arcem ab hac parte *Rheni* cum oppido *Berdein* Westphalia.

Fuit profecto non exigua potestas *Meinolphus in ditone Paderbornensi*, quem de fonte levavit *Carolus Magnus*, postquam ex suis bonis extrueret cœnobium in *Bodeten*.

Habuerunt aliquando *Osnaburgenses* dimidiam partem arcis & præfectura in *Rienenberge* / dioceseos *Mindensis*, teste *Ertwino*, &c.

Non scio ego jam quicquam amplius de *Dominiis aliis Westphaliæ*, tantum quod narrationem quorundam referam: Dicunt mihi ex *Phrisia* exundasse olim *Mare usque in mediam Westphaliam*, & ad locum



planum, dictum, die Senne oder das Sentfeld / cui hinc nomen esse ajunt, Senne quasi der See Ende: Item Stromberg quasi mons des Stromes / der am Strome lieget / Item Tecklenborg / quasi à Tecken / das da haben müssen die Schiffer's Zollen und Zeichen geben: Sed hæc narratio si vera est; sunt ista facta multo ante Christum natum: Et certissimum est Urnsberg / Stromberg & Tecklenborg esse antiquissima Domina in Westphalia.

145. Hæc diximus de iis Principatibus Comitatus & Dominiis, quæ nota nobis erant, si quæ à nobis prætereantur, id fit ex ignorantia.

Scripsimus igitur de Dominiis antiquæ Westphaliæ & de mutatione regiminis, familiarum, titulorum, & Comitatum in eadem: atque qui singulis temporibus potestatem & dominium exercuerint in nostra patria semper, quantum investigare potuimus, explicuimus: ut appareat nihil esse diuturnum. Precor autem à Principibus, Comitibus, Dominisque in Westphalia, atque à piis Lectoribus,

146. ut ea, quæ calamo tumultuante contexui, boni consulant. Oroque æternum patrem Domini nostri Jesu Christi, ut istam formam gubernationis politicæ, quæ nunc est in Westphalia & simul in tota Germania, etiam ad posteros usque servet clementer pro sua misericordia, isque qui habet cor Regis in manu sua, gubernet suo spiritu Illustrissimum Ducem Julix, Clivix, & Bergæ, *Guilielmum*, qui est etiam Comes de Marka & Ravensberg / &c. cum filiis Generosissimis & Nobilissimis *Carolo Frederico & Johanne Wilhelmo*, atque quatuor Westphalia Episcopos, reliquosque Dominos ac Comites per totam Westphaliam.

AMEN.